MEDULLA
VARIARUM EARUMQUE
IN
ORATIONIBUS
USITATISSIMARUM CONNEXIONUM,
MAGNAM PARTEM.
Ex
Optimis Quibusvis
authoribus, in usum Gymnasii Revalienſis, quod in Livonia eſt, collecta.
Per
HENRICUM ARNINGUM,
in Gymnaſ. Reval. Rhet. Prof.

Impenſis PHILIPPI FUHRMANNI
Bibliopol. Lipſienſis.

JENÆ,
Litteris GEORGI SENGENWALDI,
Anno M. DC. LVIII.

ET A
25638

Illustri & Generoso Domino,

DN. PHILIPPO à Scheiding/ Domino in Schedewy & Arnöo &c. S. Regni Sueciæ Senatori, per Esthoniam Gubernatori, Judicii Regii apud Dörpatenses Præsidi, & Regiæ Academiæ Gustavianæ ad Embeccam Cancellario Magnificentissimo &c.

Generosis, Perstrenuis, Nobilissimis, Virtutumq; polemicarum laude Clarissimis Viris & Dominis.

ESTHONICI DUCATUS SENATORIBUS fortissimis, &c.

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis, splendore generis, Virtute, eruditione, prudentiâ & rerum usu præclarissimis Viris ac Dominis.

INCLYTÆ REIPUBL. REVALIENSIS CONSULIBUS ET SENATORIBUS gravissimis &c.

Dominis, Fautoribus, Patronis ac Promotoribus suis omni observantiâ colendis.

S. P. D.

Epistola Dedicatoria.

DUo sunt, quæ hominem maximè commendent: Videlicet optimarum artium scientia, & maximarum rerum gloria.

Scientia sanè rerum omnium, quæ jure suo primas sibi poscit, Vobis, Illustris, Generosi, Perstrenui, Nobilissimi, Magnifici, Amplissimi, Consultissimi, Prudentissimi, Spectatissimi, &c. Domini Patroni, semper fuit quàm commendatissima. Nam ab ipsis crepundiis hoc egistis, ut vel omni arte præcellentes, vel bellica virtute memorabiles, vel le-

legum peritiâ insignes essetis. Quod etiam istô successu effecistis, ut nitidioris literaturæ honestamento nobilitati hodiè pacis subsidia prudenter provideatis: belli verò pericula fortiter propulsetis. Quæ felicitas magni æstimii illis est, quos experientia docuit, modernum bellum in tantam flammam non erupisse, si illi, quos penes & belli & pacis potestas erat, in Scythicis agris non fuissent educati.

Gloria autem vestra maximarum rerum semper tanta fuit, ut Illustritas tua, Nobilitates & Magnificentiæ Vestræ, palmæ gloriam Viris etiam fortissimis & doctissimis non tam dubiam fecerint, quàm præripuerint. Ut alia hâc vice taceam, felix nostri

Gymnasii apertio effecit, ut omnes omni, ut ajunt, pede in Vobis honestandis consistant. Sed desino, ne vel auribus vestris aliquid dare videar; Vel laudi vestræ impar & minor, Vos levans, magis premam. Tesseram autem & animi & gratitudinis meæ accipite, breve dico, hoc chartaceum opus, quô non tàm remetiri beneficia, mihi per sexennium, & quod excurrit, ubertim præstita, quàm gratâ mente recolere volui. Hoc ut serenô vultu accipiatis, & pristinô illô favore, quô hactenus semper, porrò me prosequamini, submissè rogo. Unum his addo, quod quotidiè in votis habeo: Ut Ter Optimus Deus, Illustritatem tuam, Nobilitates & Magnificentias Vestras diu velit esse super-

superstites, in Reipublicæ literariæ emolumentum, vestrorumque Subditorum commodum atque prosperitatem. Datum ex museo: Anno M. DC. XXXVII. Mense Octobri decurrente.

Illustritatis tuæ, G. N.
M. P. & Clar.

devinctissimus observantissimusque

Henricus Arnisæus
Osnab. VVestph. & in
Gymn. Revaliens.
Rhet. Prof.

Viro Clarissimo

DN. HENRICO ARNINGO,

Collegæ pl. colendo,

Henricus Arningus

ἀναγραμματιζόμενος.

IN HIS ARS: URGE.

Quæ nunc edis, INHIS est ARS,
Collega colende,
Non minima, & magni est Rhetoris illud opus.
Quam felix artem colis, hanc feliciùs
URGE,
Effugient ausus præmia nulla tuos.

De novi tractatus editione
gratulatur

Reinerus Brocmannus,
in Gymnasio Revalienſi
Græcæ Linguæ Professor.

IN

INDEX CAPITUM.

PRimum caput agit de Modo Exordiendi.

II. De Gressu ab Exordio ad Narrationem.

III. De Refutationis deductione ab Exordio ad Propositionem.

IV. De Deductione ab Exordio ad Propositionem.

V. De Propositione.

VI. De Propositione strictâ.

VII. De Modo distribuendi.

VIII. De Verecundâ extenuatione proprii ingenii.

IX. De Petitione ad audiendum.

X. De Gressu à Propositione ad Confirmationem.

XI. De Modo Confirmationis.

XII. De Amplificatione authoritatis.

XIII. De Bibliorum dictis.

XIV. De Transgressione ab authoritate ad authoritatem.

XV. De Exemplorum inductione.

XVI. Ab Exemplis ad Exempla.
XVII. De Inductione Personarum.
XVIII. De Amplificatione à causa efficiente.
XIX. De Extollendi formulis.
XX. De Minuendi formulis.
XXI. De Commendatione Personarum.
XXII. De Digressione à præcedente argumento ad sequens argumentum.
XXIII. De Deductione per species in Autoribus humanis.
XXIV. De Deductione per species in Autoribus divinis.
XXV. De Occupatione cum respondendi formulis.
XXVI. De Modo Transitionis ad Confutationem.
XXVII. Et ultimum, de Transitione ad Epilogum.

DE

DE MODO EXORDIENDI.

CAPUT PRIMUM.

§. 1.

QUanquam mihi semper frequens conspectus vester multò jucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt. Antea enim per ætatem nondum hujus authoritatem loci contingere audebam: statuebamque, nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industriâ afferri oportere:

Jam verò cum & authoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis esse voluistis: & ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti exercitatio afferre potuit: Certè, si quid est authoritatis in me, aut si quid dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ejus quoque rei fructum sibi tribuendum esse censuerunt.

§. 2.

Cum multa præclarè ac sapienter à majoribus nostris ordinata ac instituta sint: tum nihil præclarius, nihil utilius, nihil prudentius, ad studiorum conservationem consultius, nihil ad literatæ juventutis eruditionem provehendam compendiosius, nihil ad dignitatum & graduum authoritatem retinendam, ad augendam & amplificandam literarum gloriam magnificentius, quàm &c.

§. 3.

Est hoc in more positum, institutoque

toque majorum, ut ii, qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant, quâ in oratione nonnulli aliquando digni majorum loco reperiuntur: plerique autem hoc perficiunt, ut tantùm majoribus debitum esse videatur, unde etiam, quod posteris solveretur, redundaret. Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur: non, quòd non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos disciplinisque institutos videtis: sed quòd laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt. De me autem ipso, vereor, ne arrogantis sit apud vos dicere, ingrati tacere: silere tamen de tantis vestris beneficiis nullo modo possum.

§. 4.

Etsi non est meæ consuetudinis, initiò dicendi rationem reddere, quâ de causa quemque defendam; tamen

in hac defensione capitis, fortunarum & famæ N. N, proponenda ratio esse videtur officii mei: propterea quòd, quæ justissima mihi causa ad hunc defendendum visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri.

§. 5.

Rempublicam vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamq; urbem hodierno die, DEI immortalis summô erga vos amore, laboribus, consiliis periculisque N. ex flammâ atque ferro ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conservatam ac restitutam videtis. Et, si non minus jucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quàm illi, quibus nascimur, profectò esse apud vos, posterosque vestros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam, amplificatamque servavit, &c.

§. 6. Quæ

§. 6.

Quæ est ista in veterum barbariem efferenda prædicatio? quæ ista munerum, quæ præmiorum ex cruentis spectaculis commemoratio? quæ insolens hastarum & clypeorum, & quæ rerum ludicrarum ostentatio? Etenim &c.

§. 7.

Cum omnia illa præclara & illustria, quæ tum ad animi, tum ad corporis exercitationem, ad otii, segnitiei, somniq; veterni evitationem, ad indefessam laborum rerumq; fortissimarum præparationem pertinere videntur, quæ Principis viriq; nobilis studio dignissima censentur: tùm certè nihil dignius, nihil quod ad militarem gloriam, & ad fortitudinem, quasi præludiis quibusdam acuendam & concitandam magis faciat venationis studio. Etenim &c.

§. 8.

Video in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos: video,

vos

vos non solum de vestro ac Reipublicæ, verùm etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi jucunda in malis, & grata in dolore vestra erga me voluntas; sed eam, per DEUM immortalem, quæso, deponite, atque obliti salutis meæ de vobis ac de liberis vestris cogitate.

§. 9.

Quæ precatus sum à DEO immortali, more institutoque majorum, illo die, quò auspicatò, comitiis centuriatis N. N. N. N. renunciavi: ut ea res mihi magistratuique meo, populo plebique Romanæ benè atque feliciter eveniret: eadem precor ab eodem DEO immortali ob ejusdem N. N. N. N. unà cum salute obtinendum, & ut vestræ mentes, atque sententiæ, cum N. N. voluntate suffragiisque consentiant, eaque res vobis populoque N. paeem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat.

§. 10.

§. 10.

Cum in maximis periculis hujusce urbis atque imperii gravissimo atque acerbissimo Reipublicæ casu, socio atque adjutore consiliorum periculorumque meorum N. N. cædem à vobis, conjugibus liberisque vestris, vastitatem à templis, urbe N. N. depellebam: sperabam honoris potius N. N. me adjutorem futurum, quàm miseriarum deprecatorem.

§. 11.

Maximè vellem, A. ut N. N. & antea dignitatis suæ splendorem obtinere, &, post calamitatem acceptam, modestiæ fructum aliquem potuisset percipere. Sed, quoniam ita tulit casus infestus, ut amplissimo in honore, cum communi ambitionis invidia, tùm singulari N. odio everteretur, & in his pristinæ fortunæ reliquiis miseris & afflictis, tamen haberet quosdam, quorum animos ne supplicio suo satiare posset; tamen cæteris in malis facilè,

patior

patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam, misericordiamque notam omnibus quondam, nunc quasi intermissam, agnoscerent; improbi ac perditi cives edomiti atque victi, præcipitante Republicâ vehementem me fuisse, atque fortem; conservatâ, mitem ac misericordem faterentur.

§. 12.

Nemini vestrum. A. arbitror, non esse persuasissimum, nullam aut Prudentiæ civilis acquirendæ rationem expeditiorem: vel vitæ & morum elegantiæ comparandæ viam compendiosiorem, aut linguæ, aut facundiæ externæ addiscendæ modum faciliorem haberi posse, quàm eum, qui &c.

§. 13.

Si quæ ad rerum communium cognitionem, ad recti judicii informationem: si quæ ad Civilis vitæ prudentiam atq; ad optimorum consiliorum perspicientiam pertinere plurimum videntur: ea quoque ju-

ventuti evehendæ aliquando ad publicæ administrationis clavum studiosissimè commendanda, diligentissimeq; prædicanda sunt: Profectò non est quod dubitem, quin laudatissima consuetudo hujus &c.

§. 14.

Quotiescunque Gymnasium hoc nostrum oculis meis intueor, aut quæ sit ejus conditio, accuratiori trutinâ mecum perpendo. quod volo, quod cupio, obtineri posse facilè video.

§. 15.

Si quid in me est ingenii, A. quod sentio quàm sit exiguum: aut si qua exercitatio dicendi, in quâ me, non inficior, mediocriter esse versatum: aut si hujusce rei ratio aliqua ab optimarum artium studiis & disciplinâ profecta, à quâ ego nullum, confiteor, ætatis meæ tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel imprimis hic N. N. fructum à me repetere prope suo jure debet &c.

§. 16. *Le-*

§. 16.

Licet non ignorarem, Musarum filii ingeniosissimi, ingenii mei tenuitatem, judicii imbecillitatem, ac in dicendo imperfectitudinem, quæ tanta est, ut in ipso limine hærere videat: Non tamen veritus sum (quamvis in principio erubescam) hunc conscendere locum, & ad vos condiscipulos longè amantissimos, ac Musarum cultores ardentissimos, verba facere.

§. 17.

Quod precatus sum à DEO Ter Optimo Maximo eô tempore, cum me, fortunasque meas pro vestrâ incolumitate, otio, concordiâque devovi, ut si meas rationes unquam saluti vestræ antepositissem, sempiternam pœnam sustinerem, meâ voluntate susceptam: ut, quod odium scelerati homines & audaces, in omnes bonos conceptum jam diu continerent, id in me unum potius, quàm in optimum quemque & universam Remp. deflecterent: ejus devotionis me esse convictum,

ctum, judicio N. testimonio Senatus, consensu N. confessione inimicorum, beneficio divino, immortalique vestro, maximè lætor.

§. 18.

Cum pro tempore, A. B. à Doctissimo Domino Rectore, laudabilis hujus Cœtus Antistite, ac Præceptore optimè de nobis merito, respondendi partes mihi demandatæ ac commissæ sint: non possum intermittere nec debeo, quin aliquid proœmii loco, pro more recepto atque inveterato (mihi quidem arduum & grave onus: auribus autem vestris atque huic nobilissimæ juvenum coronæ, quâ cingor, suave & jucundum) in medium proferam.

§. 19.

Cùm propter egregiam & singularem N. N. in meâ salute defendendâ fidem, tàm multos & bonos viros ejus honori viderem esse fautores, capiebam animo non mediocrem voluptatem, quòd, cujus officium mihi saluti fuis-

fuisset, ei meorum temporum memoriam suffragari videbam.

§. 20.

Quanquam minimè ignoro, quàm ad præfandum sim ineptus, imò in hoc exercitii genere parùm versatus: tamen aliquando scriptum reperimus, apud eloquentissimos, rudes ac imperitos loqui, orationemq; informare posse. A Vobis igitur Aud. qui corporibus adestis, animis quoque ut adsitis, summoperè contendo, meumq; sermonem, quem non elegantia dignitas commendat, benignè audiatis, attentasq; dum hoc facio, aureis præbeatis, oro.

§. 21.

Si aliquando inimicorum impetum propulsare ac propellere cupîstis, defendite nunc universi unum, qui, ne omnes concideretis, ardoreque flammæ conflagraretis, mei capitis periculo non dubitavi providere. Nam &c.

§. 22.

Credo ego vos, judices, mirari, quid

quid sit, quòd cùm tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, neque autoritate cum iis, qui sedeant, sim comparandus.

§. 23.

Contendo à vobis A. (quanquam meâ adhortatione, non egeatis) ut animos vestros ab ineunte ætate, ad ingenuarum liberaliumq; artium studia applicetis, quarum dignitatem atque excellentiam neminem fugere arbitror, &c.

§. 24.

Quæ res in Civitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia & eloquentia: quarum alteram N. N. vereor, alteram metuo: Eloquentia N. N. ne me dicendo impediat, non nihil commoveor; gratia N. ne N. noceat, id verò non mediocriter pertimesco.

§. 25. Si

§. 25.

Si quis vestrum, Auditores, aut eorum, qui adsunt fortè miratur, me, qui tot annos in causis judiciisque publicis ita sim versatus; ut defenderim multos, læserim autem neminem, subitò nunc mutatâ voluntate ad accusandum descendere: is si mei consilii causam rationemque cognoverit, una & id, quod facio probabit, & in hac causa neminem præponendum esse mihi actorem putabit.

§. 26.

Si quid unquam, Lectissimi Musarum milites, huic civitati DEI beneficio ac munere datum fuit, quo meritò atque optimò jure gaudendum esse videretur, id profectò nobis accidit hodiernò die, quo virum omni laude dignissimum, omnisque virtutis genere abundantissimum N. N. jam non peregrinum, sed civem nostrum, non in hanc civitatem nuper ascitum, sed antiquissimâ gente N.N. multis clarissima majo-

majorum imaginibus florentissima natum, non mediocri rerum cognitione, sed incredibili sapientiâ præditum. &c.

§. 27.

Si totum hoc præclarissimum & splendidissimum universi hujus mundi theatrum oculis nostris paulò accuratiùs intuemur, A. B. & eorum, qui in eo vixere, vivunt hodiè, vivent imposterum, mores, dicta ac facta exactâ rationis trutinâ perpendimus, naturâ ita comparatum esse videmus, ut ille, qui &c.

§. 28.

Quod erat optandum maximè, & quod unum ad invidiam vestri ordinis, infamiamque judiciorum sedandam maximè pertinebat: id non humano consilio, sed propè divinitùs datum, atque oblatum vobis summo Reip. tempore videtur.

§. 29.

Beneficia nobis à D. T. O. M exhibita pleno ore laudanda, mirificeq; esse com-

mendanda, neminem vestrum in dubium vocare autumo. Inter quæ sanè non minimum obtinent locum artes liberales, Protoplastorum peccato ad lethæas penè undas protrusæ, magnâ caligine obfuscatæ, sed in hac mundi senectâ ex Diaboli quasi faucibus erepta: Quæ hodiè tantâ perspicuitate & brevitate proponuntur, ut horum studio flagrantes, si non turpi otio dediti sint, sed omni studio, cogitatione, labore, diligentiâq; literis incumbant, eas brevi temporis spatio edisceré & perlegere queant. Excellentissima autem est earum omnium Regina Dialectica, inter omnes artes, tanquam Hesperus inter cæteras stellas, splendens atq; coruscans. Hæc enim mentes hominum oblectat, rei veritatem inculcat, falsitatem detegit ac rejicit. &c.

§. 30.

Omnes, qui alterum, nullis impulsi inimicitiis, nullâ privatim læsi injuria, nullo præmio adducti, in judicium Reip. causâ vocant, providere de-

debent, non solùm quid oneris in præsentiâ tollant, sed etiam quantum in omnem vitam negotii suscipere conentur.

§. 31.

Si, quantum in agro, locisque desertis audaciæ potest, tantum in foro, atq; in judiciis impudentiæ valeret: non minus nunc in causâ cederet N. N. impudentiæ, quàm in vi faciendâ cessit audaciæ. Verùm & illud considerati hominis esse putavit, qua de re jure decertari oporteret, armis non contendere: & hoc constantis, qui cum vi & armis certare noluisset, eum jure judicioque superare.

§. 32.

Si quis antea mirabatur, quid esset, quòd pro tantis opibus Reip. tantâque dignitate Imperii, nequaquam satis multi cives forti, & magno animo invenirentur, qui auderent se & salutem suam in discrimen offerre pro sta-

tu Civitatis, & pro communi libertate; ex hoc tempore miretur potiùs, si quem bonum & fortem civem viderit, quàm si quem aut timidum, aut sibi potiùs quàm Reip. consulentem.

§. 33.

Quod hanc in me provinciam suscepi, non ideò factum esse, putabitis, ut levem auram caperem, aut Thrasonis, hominis istius glorioſi, personam gererem: Sed dicti Platonici memor (Exercitatio potest omnia,) Exercitii ergò ad dicendum surrexi. Enimverò non ignoro, nec vos mecum, pecus, si non cogatur, torpere; si stimuletur, indesinenti sudore jugum trahere: scio probè, carnem sale non aspersam putrescere; probè salitam manere salubrem: Sic ne otii rubigine inficiar, me exerceam necesse est: ne turpiter me aliquando dem, agiter. Ideo hanc provinciam, sed provinciam dicendi in me suscipere volui, imparem quidem meis humeris, sed vestrâ faventiâ adjutus, satis parem, satis suavem.

§. 34. Si

§. 34.

Si quis fortè nunc adsit, ignarus legum, judiciorum, consuetudinis nostræ, miretur profectò, quæ sit tanta atrocitas hujusce causæ, quòd diebus festis ludisque publicis, omnibus negotiis forensibus intermissis, unum hoc judicium exerceatur: nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, ut, eô neglectô, civitas stare non possit.

§. 35.

Multi ad dicendum surgunt, ut ostentent ingenium, declarent dicendi facultatem, conspicuam reddant aliis verborum copiam, aliis rerum segetem commendent, reliquis verò uberem gazuum, elocutionis & facundiæ urnam, ut sic loquar, prælibandam propinent. Non mea hæc mens, non ratio: Non mihi hoc mea Musa suadet, nec Minerva imperat: sed potius, ut me totum utilitatis sacro consecrem, & in exercitiorum solo ac salo strenuè pererrem, jubet. Etenim rationis æquilibrio imponite, annon pueri lactentes,

tes, antequam perfectam sermonis cognitionem acquirunt, linguâ titubent & fagiant? An eorundem pedes officium facere naturali potentiâ unquam quiverint? Sic ego in faculeate dicendi titubans, & alternis pedibus quasi vacillans, exercitationi me totum dabo, ut necessitate flagitante, Thema quodvis vobis delineare possem, faciliori & nobiliori penicillo.

§. 36.

Etsi vereor, ne turpe sit, pro N. dicere incipientem timere, minimèque deceat, cùm N. ipse magis de Reip. salute perturbetur, quàm de sua, me ad ejus causam parem animi magnitudinem afferre non posse: tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos: qui quocunque inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem judiciorum minimè vident, &c.

§. 37.

Multi sunt hodiè tàm averso à lite-

literis animo, ut in earum perniciem Catilinariam conjurationem iniisse, & vesperas Sicilienses minitari videantur: cum etiam literaturæ possessionem vel levem, cum Nobilitatis læsione conjunctam esse extemporali garrulitate calumwientur, & literatos ipsos compositis ad despectum dicteriis procaciter insectentur. Nimirum inter homines nihil est tam sanctum, quod illi virtutum Sandapilarii, & bonæ mentis tortores sacrilego ore non contaminent; nihil tam honestum, quod non furialiter allatrent; nihil tam pulchrum, quod non improbè commaculent.

§. 38.

Accessistis ad nos, P. C. & honorificâ vestrâ præsentiâ indignam meam personam ornare voluistis: de quo meritò mihi gaudeo, vobis gratulor. Utinam autem non dubius, sed de jucundo Themate certus hanc Cathedram conscendissem, quò aures vestras quorundam improbitate & convitio defessas reficere, animos vestros contentionem non ferentes

relaxare, easdemq; vel rerum varietate, vel utilitate doctrinæ, vel gratissimo verborum strepitu jugiter recreare possem. Verùm enimverò hîc consilio inops totus hæreo, nec quid inceptem, nec quo me vertam, nec quod Thema aggrediar, nec quem scopum mihi eligam, scio; & si quid elegero, an ad quorundam palatum fuerit, totus dubito. Si de bello essem disserturus, displicerem: Si lutum commendaturus essem, irriderer: si artes tractare vellem, me ipsum ignorantiæ rerum agerem. Vos ergò ipsi judicate, an me hisce quæstiunculis supercilioſe consecrem? an dicendi facultatem ostentem? an uberrimam verborum meorum & rerum segetem vobis commendem? an verò his relictis earundem utilitati, in perpetuâ exercitatione consistenti, me totum devoveam? sic est, sic vestri susurri mihi indicant, sic vestrum audiendi illicium mihi declarat. Non refragabor vestro nutui, sed voluntatem vestram pro lege habebo. Etenim vos, artium liberalium ap-

primè gnari, in vobismetipsis experimini, neminem tàm Latinitatis inopem esse, qui de omnibus materiis non suas certas loquendi formulas in promptu habeat: Quòd autem illis uti non possit, quando & ubi opus est, certè nulla alia est causa, quàm quòd non satis in familiariter colloquendo, conferendo, disputando se exerceat. Hinc videmus, nobis rudiores in loquendo perfectiores & promtiores deprehendi. Unde autem hoc? ab exercitatione. O igitur rem utilem exercitationem! O optatum medium ad perfectionem! Nec nos ignoramus, quotiès proprio Marte Progymnasma componere, conficere Syllogismum, & Sophisma resolvere debemus, nos admodum tardos esse & imperitos. Cui autem rei hoc adscribam? Num præceptoribus? Certè illi omnia summa fidelitate, industriâ & perspicuitate proponunt. Num exercitationis crebrioris defectui? Sic est, ut inquis. Si enim peractis laboribus ordinariis mox inscribendo, mox in disputan-

do, mox in Canonum veritatem inquirendo, nos exerceremus, brevi futurum, ut ad summam perfectionem perveniremus, & cum Diogene Cynico diceremus: Nihil est, quod sine exercitatione fieri potest. Quid igitur superest? Rectè mihi suasistis, ut utilitati meæ consulerem, & exercitio crebriori me totum dederem. Dedam ergò me tibi, ó Exercitatio, & tuo fano me consecrabo, nullus dubitans, quin inde gloriam laudemque sim reportaturus. A vobis obnixim rogo, ut vestra faventia mihi clementer spiret, & corpora vestra animiq́; adsint, non obsint.

§. 39.

Chinenses, potentissimus extremæ Asiæ populus, eô feruntur esse ingeniô, ut reliquos mortales omnes tanquam rudes, inertes, barbaros, altô arrogantiq́ue supercilio despiciant: se verò, suaq́ue omnia magnificè prædicent, & exquisitis laudibus gloriosè prosequantur. Cui rei fidem facit invidiosum

sum nimis & percelebre inter eos dicterium illud: Chinenses duos habere oculos: Europæos unum: & quod hominum est reliquum cæcutire. Ego verò contra &c.

§. 40.

Si quis est, qui N. quòd suæ fortunæ, fundatas præsertim optimeque constitutas opes, potestati regiæ libidiniq́ue commiserit, reprehendendum putet: adscribat ad judicium suum non modò meam, sed hujus etiam ipsius, qui commisit, sententiam, Neque enim cuiquam ejus consilium vehementiùs, quàm ipsi displicet. Quanquam hoc plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus, & cui benè quid processerit, multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus.

§. 41.

Cum hactenus sitienter expetiverim, ne vel breviculum horæ interstitium oscitanter perire, aut somniculosè dilabi sinere-

neritis, quin in literis strenuè operaremini: tum hoc præsertim tempore summô conamine enitar, ut omnis literarii ordinis Antistites ac veluti Promotistæ è conspectu meo discedatis. Nihil autem mihi studiis vestris promovendis aptius videtur, quàm, ut albis, ut ajunt, equis nos præcurrentes imitemur, ut gravissimis Authoribus nos totos mancipemus.

§. 42.

Cur fructuosos hosce aversarer conventus? cur Reip. tyrocinia negligerem? sicuti miles per lusoria certamina se præparat pugnæ: ita nos prudentiæ civili, & rerum agendarum arenæ per frequentiam γεγυμνασμάτων assuefieri oportet.

§. 43.

Diuturni silentii, quo eram hisce temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundiâ, finem hodiernus dies attulit: Idemque initium, quæ vellem, quæque sentirem, meô pristinô more dicendi. Tantam enim

enim mansuetudinem, tàm inusitatam, inauditamque clementiam, tantum in summâ potestate modum rerum omnium, tàm denique incredibilem sapientiam ac penè divinam, tacitus præterire nullo modo possum.

§. 44.

Variè hactenus A. B. & prorsus inexspectatis sententiarum divortiis decertatum est. Quicquid tamen illud sit; N. N. ego nihilominus omnibus N. longè præfero: pro quâ, si posit N. N. aliquid dicerem: futurum id esset insigni cum temeritatis argumento, & non levi existimationis meæ læsione.

§. 45.

Cum in omnibus causis gravioribus initio dicendi commoveri soleam vehementiùs, quàm videtur vel usus, vel ætas mea postulare: tùm in hac causa ita me multa perturbant, ut, quantum mea fides studii mihi afferat ad salutem N. N. defendendam, tantum facultatis timor detrahat.

§. 46. Ha-

§. 46.

Hactenus à me summoperè contendistis, de viâ & ratione orationem non sellulariam ac trivialem, sed qualem Marci Catonis, pro re natâ, tum habendi, tum sedulâ curâ eandem publici juris faciendi. Ego sanè ut voluptatem non parvam, utilitatem verò incredibilem ex me demetatis, Achilleâ fortitudine vobis præire non intermittam.

§. 47.

Antiqui Romani verba ad populum facturi, pro more apud illos recepto & inveterato, proœmii locò blandiloquum sermonem præmittere, eóq; suorum auditorum aures permulcere ac delinire satagebant. Ego in Romanorum monumentis licet hospes sim & infans, nec ingenii mei acumine tantum tantæ consuetudinis mysterium comprehendere valeam: nihilominus tamen eam, ut vobis jucundam, mihi verò utilem, mihi habeo commendatam.

§. 48. Se-

§. 48.

Seriùs omninò, A. B. quàm tempus Reip. postulavit, aliquando tamen convocati sumus: quod flagitabam equidem quotidiè; quippe, cum bellum nefarium contra aras & focos, contra vitam fortunasque nostras, ab homine profligatò ac perditò non comparari, sed geri jam viderem.

§. 49.

Vetus est sermone tritum adagium: Qui vitam in miseriâ ducit, mori potius amet. Quò significatur, non ac si paupertati suspendio arbor sit deligenda, aut à quinque scopulis vel rupibus, ut ajunt, in undam desiliendum: sed multò melius esse, naturaliter vitam cum morte commutare, quàm solem sui dedecoris testem habere. Etenim qui in paupertate degit, cum adhuc est minor natu, nequit exerceri ad virtutem, quemadmodum Juv. inquit Satyr. 3.

Haut

Haut facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
res angusta domi - - - - & Satyr. 7.
- - - - neq; enim cantare sub antro
Pierio, Thyrsumve potest contingere
sæva Paupertas.

Cùm verò ad virilem ætatem pervenerit, improbissima quæque faciet. Legatus enim pro patriâ, pecuniâ corrumpetur; Concionaturus, quò spes lucri eum duxerit, eò flectet orationem: Jus dicturus, pro largiente pronunciabit, suscipietque pro suffragiis dona, & ita causam deteriorem pecuniâ corruptus, fovebit ac tuebitur. Hinc rectè Mant. in Bucol.

Pauperies inimica bonis est moribus, omne
Labitur in vitium, culpæ scelerumq; ministra.

Sensit imò sensit hæc paupertatis mala Ulysses natione Ithacus, qui cùm simularet paupertatem, multa passus est. Nam à temulento Melanthio, calce, per-

percussus est, Antinous scabello eum petiit, & proci cibis & vino obruti mirè in eum sunt debacchati. Adeò meo judicio paupertas dura est, & ejus onus grave telum. Præclarè ergò rectèque Euripides inquit: Magnum malum esse, nihil habere, neque paupertatem nobilitate levari posse. Ego ergò de paupertate verba facturus, facilè à vestrâ benevolentiâ impetrabo, ut ingenii mei tenuitatem allevent.

§. 50.

Frequentia vestrûm incredibilis, concioque tanta, quantam meminisse non videor, & alacritatem mihi summam affert Reip. defendendæ, & spem recuperandæ libertatis.

§. 51.

Si quis in hoc illustri consessu, urbem aliquam laudaret insignem, cujus solum circumcirca incredibili rerum omnium, quas necessitas & deliciæ postulant, proventu lætissimum incolarum omnium vota superet: cujus robur

&

& invicta murorum, fossarum, propugnaculorum, armorumque præstantia omnem vim hostilem rejiciat: cujus Magistratus ubique justitiam administraret examussim: cujus deniq; cives, omni pietatis, Virtutum omnium, morum, scientiarum, artium & elegantiarum omnium, & pulchritudinis laude floreant supra mortales omnes: non opinor futurum quemquam, qui non ejusmodi urbem videre gestiat, eamq; aliis omnibus longè anteferendam esse arbitretur.

§. 52.

Cicero, quem Cæsar copiæ inventorem, ac principem nominat, ea quæ pensiculatè & enucleatè scripsit, ita probantur, ut ad veterum scriptorum laudem accedant, & in omni ferè loco pro quodam numine adorandum jubeant. Is Cicero saluberrima de orationis naturâ & constitutione nobis relinquere voluit præcepta: Inter quæ haut postremi generis ea sunt, quæ in aureo suo libro, ad Herennium scripto,

pto, seræ posteritati consecravit. Nimirum &c.

§. 53.

Non abs re sapiens quidam vir vitiorum naturam cum aspidis veneno comparare solitus est. Perindè enim ut illud corpus universum celerrimè pervadit, & sine ullo ferè dolore repentinam mortem affert: sic primo aspectu miris modis blandiri solent hominibus vitia, eosque quasi fascinare, ut nihil se mali ab illis accipere putent, cum ad omne malum per illa feruntur præcipites.

§. 54.

Vellem DEUS immortalis fecisset, ut vivo potiùs N. gratias ageremus, quam mortuo honores quæreremus. Nec verò dubito, quin, si ille vir renunciare legationem potuisset, reditus ejus & nobis gratus fuerit, & Reip. salutaris futurus.

§. 55.

Aristoteles græcus scriptor, licet

omnes

omnes eum Stagiræ decus, & Philosophiæ solem & lunam faciant, & splendidissimis ornent titulis : tamen in Philosophiâ passim tam à vero aberravit, & tot absurda immiscuit, ut multi gravissimi Philosophi integra librorum plaustra consarcinent, & omnibus nervis intendant, ut eum de tot erroribus purgent. Is ipse Aristoteles inter alia futilia & anilia mundi æternitatem ex lumine naturæ demonstrare, & posteritati obtrudere voluit.

§. 56.

Verè quidam dixit, A. sectam illam Jesuitarum, quæ ab humili initio, ad tantam repentè venit magnitudinem, singulari & inaudito scelere Satanæ natam esse, in perniciem veræ Ecclesiæ & cœlestis doctrinæ. Quid enim aliud isti homines agunt, &c.

§. 57.

Maximas tibi N. gratias, omnes & habere & agere debemus : quî, cûm hodierno die Senatum te habiturum non arbitraremur: ut N.N. literas accepisti;

ne minimam quidem moram interposuisti, quin quamprimum maximo gaudio & gratulatione frueremur.

§. 58.

Cum à multis, inter meliorum literarum Mystas ac Proceres, haud postremis multa scripta & dicta sint, ex quibus studiosa juventus non modicam demetit frugem; tum vehementer dubito, an quidquam jucundius aut prægnantius, quàm illud, quod asteriscо notandum, Eloquii Latini mel, ac Comitorum Achilles protulit : Virtute ambire oportet non favitoribus : sat habet favitorum semper, qui rectè facit.

§. 59.

Si vel vanâ doctrinæ ostentatione, impulsus vel ingenii mei fiduciâ, tot doctissimis viris tacentibus, ad dicendum in medium essem progressus, non modò stultè, sed improbè fecissem. Si enim minimis etiam in rebus arrogantia & fastus inanis culpâ non caret, quô tandem odiô dignus essem, si,

quem-

quemadmodum ineptus ille Phormio coram Hannibale de re militari disserere est ausus, cum nunquam castra vidisset, & lituos audivisset: sic ego in conspectu literatissimorum virorum inscitiam meam, tanquam rem præclaram, in Theatrum afferrem. Sed quia ratio officii, &c.

§. 60.

Magno in dolore, vel potiùs mœrore, quem ex crudeli & miserabili morte N. optimi civis moderatissimique hominis accepimus, inest tamen aliquid, quod Reip. profuturum putem. Perspeximus enim quanta in iis, qui contra patriam scelerata arma ceperunt, inesset immanitas. Nam illi &c.

§. 61.

Præclarè dicit ille Romanæ Historiæ parens Livius, literarum monumentis consignari facta mortalium, ut in ea intuentes, virtutem discamus

amare, & ab improbis factis & sceleribus abhorrere.

§. 62.

Etsi minimè decere videtur, falli, decipi, errare eum, cui vos maximis sæpè de rebus assentiamini: consolor me tamen, quoniam vobiscum pariter, & unà cum sapientissimo N. erravi.

§. 63.

Aurea planè extat lex apud divinum illum Platonem: Propositis virtutis præmiis ad virtutem hortator, vitii supplicis à vitiis revocato. Præclarè etiam sapientissimus Græciæ dixisse fertur: Rempub. præmio conservari. Tum enim in quàm optimo statu Resp. conservatur, si boni virtutis consequantur præmia; mali verò suppliciorum severitate frenentur, ne ad omnem nequitiam laxis ferantur habenis. Contrà impossibile est, illam Remp. vel ad momentum stare posse, ubi nulla rectè factis proponuntur præmia, ubi à sceleratis admissorum pœnæ non expetuntur.

§. 64. In

§. 64.

In principio hujus belli, quod cum impiis civibus, sceleratisque suscepimus, timui, ne conditio insidiosa pacis libertatis recuperandæ studia restingueret. Dulce enim nomen pacis est. Nam nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura chara habere potest, quem discordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectat: eumque ex numero hominum ejiciendum, & finibus humanæ naturæ exterminandum puto.

§. 65.

Vereor A. ne vobis illa res, de qua verba facere constitui, παραδόξῳ similis & incredibilis videatur. Dicturus enim sum de laude canis, qui sanè est animal rationis expers, & eorum judicio, qui ventre omnia metiuntur, fœdis & immundis suibus postponi solet. Vehementer tamen vos oro, &c.

§. 66.

Attingam nunc quasi cunabula quædam

dam & elementa virtutis, animiq; procedente tempore ad summum gloriæ culmen perventuri, certo cum indolis experimento doctos gustus referam. Vos omnes & singulos &c.

§. 67.

Philippus Decius Juris-consultus non incelebris, cum juris utriusque Professionem Pisis, Senis, Florentiæ, Patavii, Ticini, & Avarici Biturigum, ad annos sexaginta quinque sustinuisset, tandem sic emarcuit senectute, ingeniô ejus veluti contabescente, ut nullius legis aut paragraphi ex jure Romano recordaretur ampliùs, & difficulter quicquam latinè proloqui posset. Pariter etiam Francisco Barbaro in extrema & decrepitâ senectâ literarum Græcarum obrepsit oblivio, in quibus tamen anteà excelluerat. Uti & Georgio Trapezuntio sub vitæ finem utriusque linguæ, tum Græcæ, tum Latinæ, scientia penitùs excidit. Et olim Messala Corvinus Orator tantum memo-

riæ detrimentum passus est, ut etiam nominis sui fuerit oblitus: Idem hodiè, &c.

§. 68.

Nullus homo tam ferus aut barbarus, nullus ita est ab humanitate alienus, A. qui non fateatur ultrò, summâ benevolentiâ & amore patriam esse prosequendam. Docuerunt hoc exemplò suo Ethnici. Certè Ulysses ille Homericus, tam ardenter complectitur horridam suam Ithacam, ut æquo animo mortem se appetiturum dicat, si vel fumum patriæ prius possit videre. Quid dicam de illis, qui pro patriæ salute sanguinem etiam effundunt? Nemo igitur mihi vitio vertet, &c.

§. 69.

Armet se duritiâ pectus necesse est, dum horridæ ac tristis severitatis acta narrantur, ut humaniore cogitatione sepositâ, rebus auditu asperis vacet. Ita enim districtæ & inexorabiles vindictæ, &

varia pœnarum genera in medium procurrent, utilia quidem legum munimenta, sed minimè in placido, & quieto paginarum numero reponenda.

§. 70.

Si, ut ex literis, quæ recitatæ sunt, sceleratissimorum hostium exercitum, cœsum, fusumque cognovi: sic id quod omnes maximè optamus, & ex eâ victoria, quæ parta est, consecutum arbitramur, N. egressum urbe cognovissemus, propter ejusdem salutem, redeundum ad pristinum vestitum, sine ulla dubitatione censerem.

§. 71.

Patriam diligunt boni omnes: & quidem sic amant, ut supremum affectum consequatur par laudatio, quibusvis aliis locis, aut Regionibus, quâcunq; sint præstantiâ, dignitate, honore, viliùs æstimatis, frigidius laudatis. Juxta illud: nescio qua natale &c.

§. 72.

Cum omnes mihi singulari quadam,

ac præcipua laude digni videntur, qui in assequendâ honestarum artium scientiâ operam & industriam suam collocant, tum ii præcipuè, qui veluti majore quodam numinis afflatu perculsi, cæteris omnibus posthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas, atque omnia studia contulerunt.

§. 73.

Rectissimè Pindarus: ἄριστον μὲν ὕδωρ: h. e. optima rerum aqua: Hesiodus etiam monet, non esse fluvium perennem transeundum, nisi prius piis effusis precibus. Uterque sic sensit, tum propter utilitates ingentes, quas ex aqua mortalium vita capit: tum quia aliquid divinitatis aquis inesse videtur.

§. 74.

Quæ singula hominibus ad dicendum accedentibus timorem facere consueverunt, ea mihi sese hodiernò die objiciunt universa. Sive enim loci

ci amplitudo afferre perturbationis aliquid potest, Venetiis dicimus; sive audientium dignitas, magnâ lectissimorum hominum adstante frequentiâ dicimus; sive ipsa orationis materia, dicendique conditio, ita dicimus, ut sit nobis eodem tempore de ingeniô, de doctrinâ, de gloriâ ornamentisque omnibus in hoc literarum certamine periclitandum.

§. 75.

Graviter & iniquô animô maledicta tua paterer N. N. si te scirem judiciô magis, quàm morbo animi petulantiâ istâ uti, sed cùm in te neque modum neque modestiam ullam animadvertor, respondebo tibi: ut si quam voluptatem malè dicendo cepisti, eam malè audiendo amittas, Ubi querar? quos implorem? &c.

§. 76.

Verissimè cecinit optimi genii & ingenii poeta Stigelius:

Emicat ex ipsis divina potentia rebus:
Præsentemq; refert quælibet herba Deum.

Quot namque flores & herbæ vernô tempore, in hortis, agris & sylvis passim oculis hominum se ingerunt, tot offerunt se simul divinitatis præcones, ut vel hinc etiam agnoscere possimus, verum esse, quod Apostolus alicubi dicit: Deum non procul à nobis abesse, sed quasi manibus se nobis palpandum exhibere. Quæ cùm ita sunt, &c.

§. 77.

Permultos esse intelligo, qui de his literis, quæ humaniores vocantur, eam animo imbibêre sententiam, ut earum tractationem leve quiddam esse, ac nugatiorum existiment: neque aut magnos admodùm labores ab iis suscipi, qui eas juventuti tradant, aut eorum magnoperè fructuosam esse Reip. industriam; in eis denique non circumforaneam quandam, haustamque de

triviis ac circulis, requiri doctrinam putent. A quibus ego, quoniam ita dissentio, ut &c.

§. 78.

Hactenus in hoc illustrissimo consessu benè multi dixêre: sed plerique contrariis affectibus excitati tanta contentione in sensuum divortia abierunt, ut dubitem, an in ullô consistorio unquam à singulis Senatoribus in tam discrepantes opiniones fuerit itum. Video non paucos &c.

§. 97.

Æternâ prædicatione digni sunt, quoad literæ vigebunt; illustria illa literarum lumina, & eloquentiæ flumina, Cicero & Demosthenes. Sic enim existimo, Alterumque nobis pro exemplo esse propositum, ut in iis videre possimus, quò possit humanâ perveniri eloquentiâ. Disertos quidem secundùm Antonium videre licet nonnullos, ab his duobus si abeas, eloquentem inventurus es neminem. Patiamini igitur de his &c.

§. 80.

Multum animis hominum & fiduciæ adjicere, & solicitudinis detrahere potest morum ac fortunæ in viris claris recognita mutatio, sive nostros status sive proximorum ingenia contemplemur. Nam cùm aliorum fortunas spectando, ex conditione abjecta atque contemta emersisse claritatem videamus, quid aberit, quin & ipsi meliora semper de nobis cogitemus? memores, stultum esse perpetuæ infelicitatis se prædamnare, spemq; quæ etiam incertæ rectè fovetur, interdum certam in desperationem convertere.

§. 81.

Consideranti mihi, & diligentiùs intuenti, & sæpè aliàs A. mihi virtutis indagatrix, epultrixque vitiorum, divinarum particeps rerum philosophia videbatur: Et nunc maximè; cùm naturæ interpretationem, & remotarum ab oculis rerum investigationem sibi vindicet.

§. 82. Si

§. 82.

Si eorum, quæ oratione pertractantur, magnitudo & præstantia non aliunde, quàm ex ejus, qui de iis disserit, ingeniô & dicendi copia penderetur: magnoperè mihi verendum esset, ne hodiernô die in hôc augustissimô, & ad dicendum amplissimô orbis terrarum locô, splendor ac dignitas maximarum pulcherrimarumque rerum, quarum explicandarum munus mihi mandatum est, ingenii mei tenuitate, & orationis inopiâ imminueretur. Dicturus enim sum &c.

§. 83.

Utinam falsum esset, A. tritum illud omnium sermone proverbium: Heroum filii noxæ! Sed nimis illud verum esse, tam in proclivi est, quàm pluvia, cum est imber. Nolo jam antiquitatis recessum excutere, non replicabo memoriam illorum, qui à paternâ virtute degenerarunt. Germaniam mihi, in qua degimus aspicite! Utinam dicere & verè dicere cum

Poetæ possimus: Fortes creari fortibus & bonis. Sed tam flagitiosi sunt nostri mores, ut orationem mendacii arguamus.

§. 84.

Qui me voluistis dicere ex tempore, accipite rudimentum post experimentum. Quippe, prout mea opinio est, bonô periculô periculum faciam, postquam re probatâ, mediatâ, dicturus sum incogitata. Nec enim metuo, ne in frivolis displiceam, qui in gravioribus placui. Sed ut me omnifariam noveritis, & in isto, ut ait Lucilius, schediô & inconditô experiemini, an idem sim repentinus, qui & præparatus. Si qui tamen vestrûm subitaria ista nostra nondum cognoscitis, quæ scil. audietis, pari labore quam scribimus, veniâ propensiore quàm legimus. Sic enim fermè assolet apud Prudentes viros esse, quod in opcribus elaboratis, judicatio restrictior; in rebus subitariis venia prolixior. Scripta enim pensiculatis & examinatis: repentina autem noscitis simul & ignoscitis. Nec injuria. Illa enim quæ scripta legimus,

etiam tacentibus nobis talia erunt, qualia illata sunt; Hæc verò quæ impræsentiarum, & quasi vobiscum partienda sunt, talia erunt, qualia vos illa favendo feceritis.

§. 85.

Sunt quidam homines, tàm agrestibus & impolitis auribus, ut omnem orationis ornatum, & sermonis elegantiam, tanquam rem inanem & supervacaneam, omninò negligendam esse existiment: eumque, satis esse disertum ac eloquentem affirment, qui sensa mentis apertè quoquô modô atque intelligenter explicare dicendo valeat: ea verò, quæ orationis ornamenta vocantur, nihil aliud esse dicant, quàm quasi calamistros quosdam & fucati medicamenta candoris & ruboris, quæ omnem orationis vim, & gravitatem, & constantiam infringant & prorsus effœminent, &c.

§. 86.

Memoria proditum est, A. sapien-

tissimum illum Græciæ Socratem, Velatô capite in Concionem prodiisse, cùm amorem esset reprehensurus. Vidit enim monstri esse & paradoxi simile, eam rem, quâ nihil secundùm communem hominum sensum est dulcius & gratiosius, vituperare. Quod Socratem feciſse perhibent, id in hoc argumento faciendum esse videtur, quod æquè ac Socraticum est insolens. Dicturus enim sum de &c.

§. 87.

Ut in reliquis vitæ partibus, sic in studiis & in ratione dicendi plerumque contingit, ut juvenes quidem nitida & ad pompam, adque ostentationem accommodata: senes autem utilia magis & fructuosa delectent. Itaque ego qui olim florenti ætate, omnes lepores festivitatesque dicendi, quantum quidem in me situm erat, summo studiô aucupabar; & pectere ac comere cum curâ orationem solebam: nunc ut ætate, ita consiliô commutatô prorsus, pro-

profutura potius, quàm oblectatura confector; neque tam id operam do, ut ab iis, qui ad me audiendum veniunt, disertus habeat, quàm ut ipsi aliquâ re bonâ & dignâ cognitu domum redeant auctiores.

§. 88.

Quæ duo in eo, qui hôc locô causas agere cupit, requiruntur, ea ambo mihi desunt; auctoritas, & dicendi facultas. Primùm enim, vix è scholarum emissus carceribus, nullô rerum usu, nullâ dicendi facultate instructus, non possum molem & pondus gravissimæ hujus accusationis sustinere. Propterea submisse peto, &c.

§. 89.

Quotannis mihi evenire consuevit, ut, cùm post illam quatuor Mensium vacationem, quæ nobis ob æstivos calores tribui solet, redeundum est ad munia, torpeat animus, titubet lingua, ut neque quid dicam, facilè reperire possim: & cùm quid reperi, verba, qui-

quibus id explicem abdere quodammodo se ac refugere, non, ut priùs, ultrò se offerre, & suapte sponte fluere ac decurrere videantur.

§. 90.

Rectè & verè de Monachis Æneas Sylvius, ipse eriam Monachus, pronunciavit: Nullum facinus esse tàm horrendum & detestandum ipsi etiam Diabolo, quod non suspiciat & exsequatur vel improba anus, vel impius Monachus. Testis est hujus rei, &c.

DE

DE GRESSU AB EXORDIO AD NARRATIONEM.

CAPUT SECUNDUM.

§. 1.

RElíquum est, Judices, ut jam nihil aliud quærere debeatis, nisi uter utri insidias fecerit: Quod quò faciliùs argumentis perspicere possitis, rem gestam vobis dum breviter expono, quæso diligenter attendite.

§. 2.

Factum ipsum tametsi vobis notum est, Auditores, breviter tamen illud repetam ex Historia.

§. 3.

Jam enim quoniam criminibus ejus satis respondi, de ipso emendatore, & correctore nostro quædã dicenda sunt: nec enim omnia effundam, ut, si sæpius decertandum sit, ut erit, semper novus ve-

veniam: quam facultatẽ mihi multitudo istius vitiorũ peccatorumq; largitur.

§. 4.

Quamobrem, quod quæsivit à me P. A. homo & multis officiis mihi, & summâ familiaritate conjunctus, & vobis amicissimus, ita respondebo, ut ea, quibus non interfuistis, nosse possitis.

§. 5.

Quæ quoniam in senatu illustrata, patefacta compertaq; sunt per me, vobis jam exponam breviter, Quirites: ut & quanta, & quàm manifesta, & quâ ratione investigata, & comprehensa sint, vos, qui ignoratis, exactiùs scire possitis.

§. 6.

Atque ut faciliùs intelligere possitis, Judices, ea quæ facta sunt, indigniora esse, quàm hæc sunt, quæ dicimus: ab initiô, res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus, quô facilius hujus hominis innocentissimi miserias, & illorum audaciam cognoscere possitis, & Reip. calamitatem.

DE

DE REFUTATIONIS DEDUCTIONE AB EXORDIO AD PROPOSITIONEM.

CAPUT TERTIUM.

§. 1.

EGo hujus opinionis iniquissimæ, & nullius momenti, cum summâ voluntate, animique ardore, & omnium ordinum exspectatione summâ refutator accessi: non quidem quantum causæ necessitas, & negotium hoc arduum exigit: sed quantum ingenioli mei tenuitas & temporis ratio feret. Neque tamen ut aliquam invidiam, odiumve N. exsuscitarem, aut delinquendi vias aperirem, sed ut communi hominum malevolorum, maleq; sen-

sentientium injuriæ, & imbecillitati judicii occurrerem, veramque opinionem assererem, & vindicarem, ac denique iniquitatem judiciorum in eâ re ostenderem.

§. 2.

At nos aliud natura, & verbum DEI docet, quod fallere nos non potest, cum Spiritus iste, cujus afflatu hoc παράδοξον jactant fanatici homines, nihil aliud didicerit quàm mendacium, nihil aliud discipulos suos doceat, quàm tetros errores, & horrenda scelera. Quod quidem adversarii dicunt, facilius dici, quàm probari posse, arbitror. Agite hauriamus ingratum quidem illum, sed tamen utilem laborem; refutemus istos tenebriones, & officiô Magistratûs nihil sanctius, & utilius esse demonstremus.

§. 3.

A quibus ego, quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum

mum munus esse contendam; neque ullos esse, qui aut laborum plus perferant, aut majores in Rep. pariant fructus: Doctrinæ denique à nullô hominum genere majorem aut copiam requiri, aut varietatem arbitrer: Constitui hodiernô die, eam mihi ad dicendum materiam sumere, & nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, à contemptu atque intolerabili ineruditorum hominum insolentia vindicare.

§. 4.

Sed quoniam excidit Gubernator, novisque Resp. in altô pelagô tempestatibus undiq; concutitur, convolandum nobis est, Electores Collegæ, & communi naufragiô, communi ope & præsidiô succurrendum.

§. 3.

At mihi quidem, cùm audax præcipuè, & temerarius fuisse adversarius videtur, in argumento deligendo tam absurdô; tum impudens maximè, quòd

quòd os suum vobis ostendere, & apud ejus conjugium dissuadere conatus est, quos S. Sanctus in scripturis docuit, honore id esse dignum apud omnes: Nisi fortè hoc egregius ille Orator existimavit, quò egerit impudentiùs, hoc se majorem ingenii & eruditionis gloriam reportare posse. Quasi verò idem sit eruditorum, quod vanorum hominum judicium, & qui monstrosis atque absurdis ejusmodi argumentis delectantur. Aggredior igitur, &c.

§. 6.

Nunc quia multis volupe est, re non satis intellectâ, multò minùs perpensâ, condemnationis sententiam adversus innocentes ferre, & justissimæ non defectioni à Rege Philippo, sed secessioni ab immani Hispanorum Tyrannide turpissimam seditionis, rebellionis, & læsæ Majestatis, horrendorum sanè scelerum, personam imponere: Nemo mihi vitio vertet, quod de

de hôc Belgarum factô verba facere, & adversariorum calumnias refellere constitui.

§. 7.

Hôc jejunô etiam suffragiô adversarius meus intumuit: dum optimam hujus facti rationem Belgas habuisse somniat, quodque ipsis propterea dica nulla inscribi queat. At mihi cùm audax & temerarius videatur in argumentô deligendô tàm absurdô, tùm impudens maximè, dum secessisse tantum ipsos ab immani crudelitate Hispanorum somniat, cùm tamen rebellionis & criminis læsæ majestatis nomen id crimen optimè mereatur.

(o)

DE

DE DEDUCTIONE AB EXORDIO AD PROPOSITIONEM.

CAPUT QUARTUM.

§. 1.

QUæ cum ita sint, statui hoc tempore, quædam de moderatô linguæ usu dicere, & vobis persuadere.

§. 2.

Sed video, me in Exordio longius evagatum esse, quàm volebam; etsi arbitror, vobis quidem, qui philosophiæ & religionis amantissimi estis, non fuisse ingratam hanc meam commemorationem.

§. 3.

De illius mihi facultatis laudibus, hodiernô die demandatum est ab iis, quo-

quorum & apud me plurimum valet, & apud omnes peræque valere debet authoritas, non uteas quidem sigillatim percensere omnes, & orationis flore convestire conarer, sed ut ex innumerabili earum copiâ pauca quædam seligerem, quibus ex hôc amplissimô locô, vobis audientibus explicarem.

§. 4.

Verum enimverô, ne vestrâ abutar clementiâ, ad rem ipsam me accingam.

§. 5.

Sed ne longiori vos onerem Exordio, & suspensos detineam diutiùs, rem ipsam statim aggrediar, & quidem brevi tempore de eo, quod à Dn. Dn. institutum, verba faciam.

§. 6.

Ne ambagiosis verborum involucris vos detineam, ad rem ipsam me accingam.

§. 7.

Proinde ipsa rerum, quæ durum telum esse perhibetur, me cogit necessitas, ut de rebus non facilibus, sed difficilibus, non futilibus, sed utilibus, apud vos, A. verba faciam.

§. 8.

Quoniam verò in Schola hâc nostra, in laudabili & ornatissimâ doctorum Juvenumque coronâ, satis dictum sit, constitui mecum de N. in præsentiâ vestrâ verba facere.

§. 9.

Non quæ obesse, sed prodesse possunt, narrabo, adversus Epicurum firmissimis demonstrabo argumentis, famæ obscuritatem fugiendam, evitandam & execrandam, honorem verò & gloriam amplectandam esse.

§. 10.

Ac mihi quidem, & cujus rei causâ in hunc locum ascenderim, & ad quos verba facturus sim, cogitanti, prorsus ita videtur; nullô in argumentô meam commodiùs orationem posse versari, quàm si, literarum disciplina quantum non ornamenti solùm, verùm etiam præsidii benè temperatis civitatibus afferat, tum adhibitis rationibus, tum etiam exemplis, atq; ex veteribus seculis repetitâ memoriâ exponam: minimè id quidem, quô vos tales viros commonefaciam, excellentibus à natura ingeniis præditos: sed quia libenter facio, ut, quarum artium præceptâ scientiâ unumquemque vestrûm vehementer affici constat, earum animos vestros jucundâ commemoratione delectem.

§. 11.

Porrò inter pestes illas vitiorum nulla est capitalior ipsâ superbiâ. Nullius est enim tantum ingenii flumen, tantâve dicendi vis, qui complecti & consequi possit percensendo, quantum ex eo ad humanum genus redundet malorum.

DE PROPOSITIONE.

CAPUT QUINTUM.

§. 1.

EGo in hôc clarissimô philosophiæ Sacellô, in hôc peritissimô Philosophorum cœtu, in hâc lectissimâ lectissimorum coronâ de N. N. agam.

§. 2.

Hæc præfatus sum, ut intelligeretis pondus hujus vitii, de quô jamjam sum dicturus.

§. 3.

Quoniam hoc vitium est tàm turpe, quàm turpissimum, de hoc tantum, quantum genii & ingenii mei fert imbecillitas, doctrinæ patietur satietas, dicendi admittit inopia, dicam.

§. 4.

Dicam autem breviter, & quidem brevius, quàm res tanta dici vel debeat, vel possit. At quid dicam? dico & dum dicendi spirandiq; facultas supererit, dicam, calumniam esse vitium omnium turpissimum, pessimum & nefandissimum.

§. 5.

Ego, Auditores, in hôc campo Oratorio amœnissimo agam de N. clarissimis, hasq; summo conanime affectandas esse, confidenter affirmabo.

§. 6.

Nam per Deum immortalem, quid est in hâc causâ, quod defensionis indigeat? qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnoperè desiderat?

§. 7.

Cùm itaque in Gymnasio nostro, à meis condiscipulis, tum in Ecclesia, à Dominis Pastoribus, de aliis satis dictum sit, constitui mecum de N. breviter dicere.

§. 8.

Agite, hauriamus quidem ingratum illum, sed tamen utilem laborem, & Magistratus officiô nihil sanctius & utilius esse, demonstremus.

§. 9.

Omissâ igitur longiori Præfatione, ad rem ipsam potiùs me accingam, & de temulentiâ & ebrietate breviter impræsentiarum verba faciam.

§. 10.

Ostendam, Judices, primùm, quoniam caput illius atrocitatis atq; invidiæ fuit, innocentem pecunia circumventum &c. esse: deinde ea de eô præjudicia esse facta ab ipsis judicibus, à quibus condemnatus est, ut non modô ab iisdem, sed ne ab aliis quidem, ullô modô absolvi posset. Cum hæc docuero, tum illud ostendam, quod maximè requiri intelligo, judicium illud pecuniâ esse tentatum, non à Cluentio, sed contra Cluentium: faciamque, ut intelligatis, in totâ illâ causâ, quid res ipsa

ipsa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflarit.

§. 11.

Dicam autem, & breviter dicam, commotus authoritate ac imperiô præceptoris nostri unicè adamati, de N. N. &c.

§. 12.

Antequam ad rem ipsam memet accingam, de N. pauca & quidem ab institutô nostro non aliena præmittam.

§. 13.

Dicturus sum, Aud. de laudibus Doctoris Martini Lutheri, qui divinô quôdam providentiæ donô, mortalibus in hâc ultimâ senectâ concessus est, ut per eum misericors DEUS Ecclesiam ab Antichristi Tyrannide liberaret.

§. 14.

Non autem agam, Auditores gratiosi, de raptu Helenæ, non de morte Hippolyti, de Minervæ, Solis & Neptuni pugnâ, de Athamantis insaniâ, de Cassiopejâ,

de Oreste, de Æneæ & Ulyssis erroribus, de Ariadnæ Centauris, de Tithonis Cicadis, Lyciorum ranis & Myrmidonum formicis, sed de N. N. omnium gravissimis.

§. 15.

Intelligo Judices, tres totius accusationis partes fuisse, & earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam.

§. 16.

Non autem disseram de Æneæ navigationibus, & itinere ad Phlegethontis undas, non de Cerbero, neque Chimera: non de Martis & Veneris adulterio sed de N. &c.

§. 17.

Ego verò non de bello Trojano, aut de Thebano, aut de hujusmodi pervulgatâ historiâ dicturus, prodii. Sed cum nulla res magis Juvenum animos deceat, ornet, magis honestet, atque honoribus cumulet, quàm nobilissima ars Grammatica, quâ nulla scientia nobilior, nulla ars pretiosior

sior est, constitui mecum, hanc Cathedram conscendere, & de re tàm ornatissimâ dicere.

§. 18.

Enimverò, ut videre possitis omnes, quàm graves & justæ sint causæ, quæ nos ad illam vigilantiam & curam cohortantur, ponam vobis ante oculos rudem, sed veram tamen Jesuitarum picturam, quæ, ut confido, docebit, non Jesuitas, quod nomen dicit, Jesu socios, sed quod res testatur, Jesu hostes communes, orbis furias & Ecclesiæ pestem.

§. 19.

Ac mihi quidem cujus rei causa in hunc locum descenderim, & ad quos verba facturus sim, cogitanti prorsus ita videtur, nullô in argumentô meam commodiùs posse versari Orationem, quàm si, literarum disciplina quantum non ornamenti solùm, verum etiam præsidii benè temperatis civitatibus afferat, tum adhibitis rationibus,

tum etiam Exemplis, atq; ex veteribus seculis repetitâ memoriâ exponam.

§. 20.

Quod si mihi à vobis tribui, concedique sentiam, perficiam profectò, ut hunc A. Licinium non modò non segregandum, cùm sit civis, à numerô civium: Verùm etiam si non esset, putetis asciscendum fuisse.

§. 21.

Nemo igitur, ut puto, mihi vitio vertet, quòd verba apud vos facere jussus, de Hassiæ potissimùm laudibus dicere constitui.

§. 22.

Tribus autem capitibus mea concludetur Oratio. Primùm enim dicam de institutione circumcisionis: Secundò cur Christus voluerit circumcidi: Postremò quid nobis attulerit circumcisio Christi: & quem ex ea fructum capere debeamus.

§.23.Et

§. 23.

Et quoniam in gravissimis temporibus civitatis, atque in ruinis aversæ atque afflictæ Reip. N. N. à fortunâ ipsâ collocatus: non aggrediar ad illa maxima atque amplissima prius, quàm docuero, quibus initiis ac fundamentis hæ tantæ summis in rebus laudes excitatæ sint.

§. 24.

Nolo autem illum de eloquentiæ commendatione, cujus refertissima volumina circumferuntur, spatiosissimum campum ingredi; Nolo divini studii origenes, nolo de ejus florentissima, tam in veteribus Græcorum, quàm Romanorum imperiis celebritate; Nolo de incredibili ejus fructu & utilitate; Nolo de ejus dignitate & altitudine gloriaque hoc loco disserere, sed de N. N. &c.

§. 25.

Patiamini igitur me de pari illo Eloquentissimorum virorum, secundum

dum quod non est aliud par, pauca in medium afferre, & delibare ex illis, quæ Plutarchus de hoc argumento scripsit.

§. 26.

Quanquam in hac causa, Judices N. tribunatu, rebus omnibus pro salute Reip. gestis, ad hujus criminis defensionem non abutemur nisi oculis videritis insidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis, multa propter præclara in Remp. merita condonetis: nec postulaturi, ut, si mors P. Clodii salus vestra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potiùs, quàm populi Rom. felicitati assignetis: sed si illius insidiæ clariores hac luce fuerint: tum denique obsecrabo obtestaborque vos, Judices, si cætera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia, telisque vitam impunè ut liceat defendere.

§. 27. Is

§. 27.

Is igitur non modò à te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suæ interficere voluisse: Quod tu, nisi eum furiosissimum judices, suspicari profectò non potes.

§. 28.

Si tamen rem veris pretiis æstimaveritis, non dubito, quin mecum sitis affirmaturi, satius esse libertate aureâ frui, quàm collum huic servili capistro irretiendum præbere, & tot tamque gravibus vitæ molestiis se ultrò implicare.

§. 29.

Duæ dictæ sunt sententiæ: quarum neutram probo: alteram, quia semper, nisi cùm necesse est, periculosam arbitror: alteram, quia alienam his temporibus existimo.

§. 30.

Agite verò excutiamus breviter, A. hoc Monachi facinus, & dispiciamus

an sit tale, ut publicam piorum commendationem, sicut Aodi factum interimentis Moabiticum Regem, mereatur? an verò ut immane, crudele & atrox parricidium, mortalium omnium odium & detestationem.

§. 31.

De Belgarum itaque egregiô hoc facinore dicere, aliquid constitui, & Adversarii mei temerariam defensionem solidis fundamentis refellere decrevi.

DE

DE PROPOSITIONE STRICTA.

CAPUT SEXTUM.

§. 1.

PAucis super hâc re meam percipite sententiam.

§. 2.

Quid de hâc re sentiam paucis accipite.

§. 3.

Hanc ergò rem mirâ jamjam verborum parsimoniâ perstringam.

§. 4.

De hôc quid sentiam paucis explicabo.

§. 5.

Hanc rem cursim breviterque attingam.

§. 6.

Phaleratam polylogamq; super hâc re spernam Orationem.

§. 7.

In hac re tractanda, Laconica utar brevitate.

§. 8.

Brevibus ergò indicabo, quid à vobis factum velim.

§. 9.

Hanc rem dum tracto, non describam Orestem, sed meam Orationem ad summam arctabo brevitatem.

§. 10.

Non ergò gravabor meo more, quid quâque de re sentiam dicere breviter, summatimque enarrare.

DE MODO DISTRIBVENDI.

CAPUT SEPTIMUM.

§. 1.

ATque ut id commodiùs fiat, primò N. an sit, posteà pro genii & ingenii viribus, quid sit N. monstrabo.

§. 2.

Quæ cùm ad institutum nostrum appositè & maximè faciant, paucis explicabimus.

§. 3.

Atque ut hac de re paulò accuratiùs loqui possim, jam primo loco hujus orationis agam de N. Posteriori verò, de utilitate hujus materiæ disseram.

§. 4.

Sed quò omnia aptè & accommodatè à me proferantur, ne & confusione

sione aliquâ factâ, fastidiô & satietate animi vestri obruantur, nostram hanc orationem in duas distribuam partes, ac primô locô agam de N. secundô de N.

§. 5.

Atque adeô, ut hæc tota controversia meliùs dijudicetur, operæ pretium est, initiô, quænam sit contemptorum istorum humanitatis oratio, cognoscere.

§. 6.

Tribuemus autem nostram Orationem in tria membra, quorum primum dignitatem Magistratus non è terra, à Solone aliquo, sed è cœlo, ab ipso Deo deducit. Alterum monstrabit, in hâc civilis vitæ societate, nihil esse magis necessarium Magistratu: nihil quô ægriùs in hâc Romuli fece mortales carere possint. In postremô membrô planum faciemus, tot tantaq; Deum in hoc sanctissimo ordine deposuisse bona & commoda, ut qui id intelligere non possit, non sit recti sensus.

§. 7. O-

§. 7.

Ostendam primùm, causam non fuisse, cur à Prætore postularet, ut bona P. Quintii possideres: deinde, ex edicto te possidere non potuisse: postremò non possedisse. Hæc tria cum docuero, perorabo.

§. 8.

Sed antequam ad ea venio, quæ propria sunt hujus causæ, videntur mihi quædam de ipsô Matrimoniô prius, deinde etiam de hujus nostri principis vita sapientiâque breviter esse perstringenda.

§. 9.

Intelligitis autem, esse mihi cum duplici hominum genere negotium: quorum alii levem & ineruditam loquacitatem, alii inornatam & indisertam Philosophiam colunt. Primùm igitur congrediamur cum delicatis istis & mollibus, quos perindè ac parvos puerulos, severa & torva quodammodò Philosophiæ facies ita deterret, ut

ad

ad eam accedere non audeant: Efficiemus enim de duobus alterum: ut aut fusi ac fugati, molesti nobis esse desinant, aut, quod malim, confirmati ac benè sperare jussi, socios se nobis honestissimi laboris adjungant.

§. 10.

Sed antequam ad ipsum propositum accedam, pauca mihi priùs ex historia sacra repetenda sunt, quò intelligere possitis omnes, quale nam sit factum illud, quod commendandum suscepimus.

§. 11.

Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quæ obstant hoc tempore R. Roscio: Crimen adversariorum, audacia & potentia. Criminis confectionem accusator Erucius suscepit: Audaciæ partes sibi Roscii popposcerunt: Chrysogonus autem is, qui plurimum potest, potentia pugnat. De hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo.

§. 12. Tri-

§. 12.

Tribus autem capitibus mea concludetur Oratio. Primùm enim dicam de institutione circumcisionis. Secundò cur Christus voluerit circumcidi. Postremò quid nobis attulerit circumcisio Christi, & quem ex ea fructum capere debeamus.

§. 13.

Cùm enim tria tantum esse videantur, quibus in hoc dicendi genere, cum aliquem in ordinem nostrum admittimus, uti possimus, primum, ut eum pro dignitate sua laudemus: alterum, ut ad labores & vigilias adhortemur: tertium, ut, quid illi deinceps agendum sit, admoneamus: omnia me hoc tempore ferè deficiunt: ut non mediocriter verear, si eis uti velim, ne rem perabsurdam videar efficere.

§. 14.

Non autem constitui jam omnia accuratè persequi, quæ ad canum laudem

dem & decus pertinent (res illa nec mei est ingenii, nec hujus loci) sufficiet paucas Canum dotes delibâsse, quæ tamen ipsæ satis luculenter docebunt, principatum inter animantia bruta canes meritò obtinere.

§. 15.

Ea causa tripartita, Judices, erit; Primùm enim de decumanô; Deinde de emptô dicemus frumentô: postremò de æstimatô.

§. 16.

Qua in re non sanè mihi explicata dicendi ratio proponitur: Cum non tantùm de amore ipsô; sed etiam de ipsius nomine magna sit apud Authores controversia. Prius ergò de Amoris nomine; posteà verò etiam de ipsô Amore differemus.

§. 17.

Cur igitur pacem nolo? Quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quæ tria dum explico, peto à vobis

bis P. C. ut eâdem benignitate, quâ soletis, verba mea audiatis.

§. 18.

Tria ergò hâc vice præstare conabor. Primùm, ut Johanni Evangelistæ honor debitus, non pro ipsius dignitate, sed pro virium nostrarum tenuitate tribuatur: Deinde omnes nos ad persequenda, pro suô quisque modulô, illius vestigia incitemur: Postremò ut cùm eum, & generis nostri amantissimum, & apud Deum gratiosissimum esse intelligamus, singularem ejus pietatem consideremus: sperans fore, ut non propter me, neque enim dignus sum, qui hîc audiar: sed propter eum, de quô dicturus sum, mea benignè & placidè excipiatur oratio.

§. 19.

Primùm enim mihi videtur de origine & antiquitate Musicæ; deinde de formis ejus atque partibus: tùm de viribus atque utilitate esse dicendum.

§. 20.

§. 20.

Porrò totius causæ momentum in eo consistit, an Rex Galliarum ad imperium accersendus; an Carolus Rex Hispaniarum; an verò aliquis è cæteris Germaniæ Principibus, qui virtute & potentiâ cæteros excellat alios? De quibus omnibus meam breviter exponam sententiam.

§. 21.

Duæ dictæ sunt sententiæ: Quarum neutram probo: Alteram, quia semper nisi cum est necesse, periculosam arbitror: alteram quia alienam his temporibus existimo.

§. 22.

Tria verò à te, Rex serenissime & à Polonis, sociis, amicis & vicinis, Hungariæ ordines, vestrâ imprimis pietate, amicitiâ & benevolentiâ freti, petunt. Primum ut aliquot auxiliares copias, vestris sumptibus in subsidium periclitantis Hungariæ quàm primum expe-

expediatis. Alterum, ut si quos milites è vestro regno & adjacentibus provinciis, expensis nostris, ad signa nostra vocaverimus, illis liberam in Hungariam proficiscendi facultatem benignè concedatis. Tertium est, ut novo perpetuóque fœdere, nobiscum sanctè pactó vestram in armis societatem cum nostrâ, quamvis parvâ & imbecilli manu, conjungatis.

§. 23.

Primum mihi videtur de genere belli: Deindè de magnitudine: Tum de Imperatore deligendo dicendum.

§. 24.

De Belgarum itaque egregiô hôc (si ita dicere fas est) facinore dicere, aliquid constitui & adversarii mei temerariam defensionem solidis fundamentis refellere decrevi.

§. 25.

Ostendam, Judices, primùm, quoniam caput illius atrocitatis atq; invidiæ

diæ fuit, innocentem pecuniâ circumventum neminem unquam majoribus criminibus, gravioribus testibus in judicium esse vocatum: Deinde ea de eô præjudicia esse facta ab ipsis judicibus, à quibus commendatus est, ut non modô ab iisdem, sed ne ab aliis quidem ullis, absolvi ullô modô posset. Cùm hæc docuero, tum illud ostendam, quod maximè requiri intelligo, judicium illud pecuniâ esse tentatum, non à Cluentio, sed contra Cluentium: Faciamque ut intelligatis, in totâ illâ causâ, quid res ipsa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflârit.

DE

DE VERECUNDA EXTENUATIONE PROPRII INGENII.

CAPUT OCTAVUM.

§. 1.

His de rebus tantis, tamque atrocibus, neque satis commodè dicere, neque satis graviter conqueri, neque satis vociferari posse intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati ætas, libertati tempora sunt impedimento. Huc accedit summus timor, quem mihi natura, pudorque attribuit, & vestra dignitas, & vis adversariorum, & S. Roscii pericula. Quapropter vos oro, atque obsecro, ut attentè bonâque cum veniâ verba mea audiatis. Fide sapientiâque vestrâ fretus, plus oneris

sustuli, quàm ferre me posse intelligo: hoc onus si vos aliquâ ex parte allevabitis, feram ut potero, studiô & industriâ: sin autem à vobis (id quod non spero) deserar: tamen animo non deficiam, & id, quod suscepi, quoad potero, perferam: quod si perferre non potero; opprimi me malo onere officii, quàm id quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere.

§. 2.

Verùm ut in magnâ Sylvâ boni venatoris est, feras indaganter quam plurimas capere, nec unquam culpæ fuit, non omnes cepisse: sic nemo, spero, vitio mihi vertet, si in tantâ laudum Hungariæ copiâ & tantulô temporis intervallô, plurimas transilierim. Certè callidos plerosque Italiæ caupones ac stabularios hic imitari omnium minimè necesse habeo, qui simul atque peregrè advenientem aliquem perspexerint,

xerint, longè procurrunt obviam, salutant benignè hospitiôque suô ambitiosè laudatô, miris blanditiis invitant, deducunt alacres usq; ad amplam bene pictam januam: Posiquam autem ingressus fueris, & illi ad alios hospites captandos revolarint, nihil reperias culinâ frigidius, nihil stabulô inanius.

§. 3.

Nam si pudoris, atque naturæ meæ rationem habere voluero, nihil ut de me liberè, nihil magnificè dicere audeam, nullam afferre causam potero, cur vos me dignum existimaveritis, quem ad hoc tàm amplum tamque honestum publicè docendi munus eligeretis.

§. 4.

De illius mihi facultatis laudibus, hodiernô die demandatum est ab iis, quorum & apud me plurimùm valet, & apud omnes peræquè valere debet authoritas, non ut eas quidem figillatim percensere omnes, ac flore oratio-

nis conveſtire conarer (quod & imperare iniquum eſſet & ſuſcipere temerarium) ſed ut ex earum innumerabili copiâ pauca quædam ſeligerem, de quibus ex hôc ampliſſimô locô vobis audientibus explicarem. Quâ de re cum mecum initiô ageretur, refugiebam equidem tanti oneris magnitudinẽ, veritus ne idem mihi contingeret, quod nobili olim Sophiſtæ apud Annibalem de rebus bellicis longâ accuratâque oratione diſputanti, contigiſſe dicitur: ſi homo adoleſcens, & cùm cæteris rebus ſatis tenuiter inſtructus, tùm in hoc genere penitùs rudis, inter tot eruditiſſimos viros, ad dicendum de rebus divinis aggrederer. Illud etiam me commovebat, quod præclare à Platone ſcriptum noveram, orationi, & iis ribus, quæ oratione tractantur, quandam inter ſe cognationem intercedere oportere, ex quô facilè intelligebam conſequi, ut ad res divinas pro dignitate tractandas, divinum quod-

quoddam requireretur orationis genus. At iſta quidem, re adhuc integrâ, fortaſſis majore quadam cautione providenda fuerint: Nunc quidem jam ſemel altum ingreſſis, quæ nos cunque tempeſtas exceptura eſt, vela nimirum facienda ſunt.

§. 5.

Nemo veſtrûm mirabitur, ſi ad nobilitatem hujus argumenti parem animi magnitudinem non adferam: Nimirum quod mihi in hâc re accidit, id illi quoque contingere poteſt, qui omnem ætatem in Eloquentiæ ſtudio conſumit, & inter Ciceronis & Demoſthenis Myrothecia eſt educatus. Recreat me nihilominus &c.

§. 6.

Etſi verô haut parum percellor, & animo ſum non ſolùm conturbatô & timidô, ſed anxio etiam prorſus & abjecto, qui hôc loco ad dicendum ornatiſſimo, præſide & nauclero, in ampliſſimô oratoriæ artis pelago exercitatiſſimô, confidente,

doctissimorum juvenum coronâ audiente, declamantis sustineam partes inexercitatus & imperitus: Tamen me recreat Clarissimi Dn. N. N. humanitas, eximia vestra, Auditores benevoli, reficit æquanimitas: Optimè namque intelligitis, perfectum, habetis, qui locum hujus Musæi, quod jam sibi Apollo & Pegasides Libethrô neglecto, Helicone relictô, Parnassô postpositô consecrarunt, occuparunt, meorum æqualium conscendunt, eô non inavem dicendi gloriam me aucupari, vanamq; captare facundiæ laudem, sed privatam exercitationem, vel approbationem, vel confirmationem quærere.

§. 7.

Quôd mihi, difficilior est hic extremus perorandi locus. Etenim succedo orationi, quæ non prætervecta sit aureis vestras, sed in animis omnium penitus insederit: ut plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quàm non modò ex mea, sed ex cujusquam Ora-

Oratione capere possitis. Sed mos est gerendus &c.

§. 8.

Etenim si eloquentissimos olim viros accepimus, cùm ad dicendum veniissent, unius Principis adspectu ita conturbatos fuisse, ut obmutescerent: Quid mihi tandem animi esse oportet, qui neq; comparandus cum illis omninò sum, & apud vos dico, Senatores amplissimi, ad quos cum oculorum converto aciem, totidem mihi consessum Principum videor intueri.

§. 9.

Idcircò cùm non eò, quô decebat, vel ordine vel splendore Oratoriô, vel ex ipsô eloquentiæ fonte deducta fuerint, quæ de N. sum dicturus, date quæso mihi veniam, cum & Archelaus Rex interdum raucos, & inamœnos homines audire voluerit, ut posteà plus caperet oblectamenti.

§. 10.

Quod si non omnibus satisfacere

suſceptô negotiô videbor, illi cogitare debent, eum quoque à reprehenſione abeſſe, qui affectu piô teſtatur, nihil ſibi amore patriæ eſſe ſanctius & dulcius, etiamſi affectum ſuum non reipſa poſſit & factis approbare.

§. II.

Quæ oratio ſub rationis incudem revocata, & ad Lydium examinata lapidem, intam animo meo parit alacritatem, ut etiam verba in hôc politiſſimô Muſarum hoſpitiô, mellitiſſimô gratiarum delitio facere, & labra ſolvere, hautquaquam verear, ſuadâ vel maximè viribus reluctante, nec Minervâ ad hanc palæſtram me invitante, ſed potius omni ex parte oppugnante. Quem enim ingenii mei fugit imbecillitas, manifeſtiſſima omnibus? Quem præterit doctrinæ tenuitas? Quem latet judicii difficultas? Non facundiæ Hymetto ulla Charis animum inundavit, non Latina Siren flumine mellitô linguam irrigavit, nec experientia rerum omnium Ma-

Magiſtra, hiſtoriarum cognitionem, veritatis lucem, memoriæ vitam implantavit. Quid, an non tua, Auguſtiſſime Princeps, excelſa ſublimitas, ſublimis excelſitas me depellit? An non frequentia veſtra tremorem incutit? Tantum certè fateor, ut vox faucibus hæreat. Si enim Demoſthenes Cecropiæ facundiæ parens, apud Philippum Regem Amyntæ filium; Heraclitus Lycius Sophiſta coram Severo Principe: Herodes Atticus coram M. Antonio orationem habituri obmutuerunt; Si Cicero & M. Craſſus, Reip. lumina, Eloquentiæ numina, in initio dicendi contremuerunt: Quid mihi tandem animi eſſe oportebit? Quam fiduciam? quod robur? Quis itaq; me furoris Boreas afflavit? quæ temeritatis aura impulit? Audaciſſimus ego ex omnibus, qui in hoc florentiſſimo Athenæo ſedent, iſtius quidem laudis ita ſum cupidus, ut aliis eam præreptam velim, an imprudentiſſimus? Prudentiam equidem ego nullam mihi arrogo, veruntamen hoc

meum exercitium confido vacâre culpâ, meq; hujus rei solatur cogitatio. Quæ itaque res me incitavit? solane hujus dicti veritas? nihil minus. Eloquar. Tua, Clarissime N. N. benevolentia & authoritas.

§. 12.

Scitis monetas, scripturas, gemmas, non existimari ex magnitudine, sed vel expondere & arte: Sic Orationes non ex paginarum vel versuum amplitudine: sed ex sententiarum, rerumque pulchritudine dijudicari convenit.

DE

DE PETITIONE AD AUDIENDUM.

CAPUT NONUM.

§. 1.

Quod dum facio, à vobis omnibus, Auditores eruditorum optimi, & optimorum eruditissimi, ardentibus & flagrantibus contendo precibus, ut per breve temporis spatium, benevolas benevolarum aurium ædes mihi locetis atq; meam hanc Oratiunculam, brevi stylô & filô contextam, nullis figurarum luminibus illuminatam, perpolitam, nullâ arte limatam, non oscitanter, sed libenter & patienter, patientissimis æquissimisq; auribus, audiatis.

§. 2.

Te verò, Juventutis studiosissimæ Corona, ut cursum Orationis, tui favoris,

& attentionis diligentißimæ æquitatisq; ſtudiô, tanquam optatißimis remis & velis adjuves, majorem in modum peto.

§. 3.

Juſſus igitur ex hoc loco verba facere, operæ me pretium facturum putavi, ſi pro ingenii mei tenuitate de atrocitate ſuperbiæ paucis diſſererem, certâ ſpe ſubnixus fore, ut aliqui inde emendentur, & ad humilitatis amorem excitentur.

§. 4.

Atque ego ſic ſtatuo, Judices, à me in hâc causâ, atque hoc extremo dicendi locô, pietatis potius, quàm defenſionis; quærelæ, quàm eloquentiæ; doloris, quàm ingenii partes eſſe ſuſceptas. Itaque ſi aut acriùs egero, aut liberiùs, quàm qui ante me vixerunt; peto à vobis, ut tantum Orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori, & juſtæ iracundiæ concedendum putetis.

§. 5. Ut

§. 5.

Ut mihi uſuram unius horulæ, ad perorandum ac declamandum detis, peto.

§. 6.

Verumenimverò, quod omnium maximum primumque eſt, non dubitabo, quin pro ſingulari veſtrâ benevolentiæ gratiâ, & humanitate, aures veſtras animosque faciles & benevolas mihi ſitis præbituri.

§. 7.

De hâc autem quæſtione, Auditores Nobiliſſimi, ſi severè & religiosè mecum judicaveritis; meamq; ſententiam benevolis & attentis auribus, animisq; penitus intellexeritis, authoritas ea, quâ plurimùm omnes hactenus valuiſtis, hærebit & in vobis remanebit, atque ab omnibus cum veritatis, tum prudentiæ politicæ & Juſtitiæ civilis ſervantiſſimi habebimini.

§. 8.

Hæc ego ſi vela orationis meæ pandere, & aperto mari vellem invehi, in-

gens mihi campus proponeretur. Sed revocat me, & quasi manum injicit hujus rei præstantia.

§. 9.

Illud modò à vobis, antequam ulterius provehar, summoperè contendo, ut quando omne mihi perfugium in vestra bonitate & clementia situm est, tenuitatem meam vestrô favore, & silentiô sublevetis, quò mea Oratio his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit, portum faciliùs consequatur.

§. 10.

Vos autem A. quorum adspectu mirificè recreor, & in spem subitô tollor, pro vestra prudentiâ, anteceſſoris opinionem propulsate, atque meam ut veram accipite & defendite.

§. 11.

Quò circa qui adestis, ut me de hôc prodigiô scelerumq; omnium documentô, sine antipagmentô, sine ullius eloquentiæ machinis, sine lauta Orationis suppellectile,

le, sine verborum deliciis, sententiarum Majestate, actionis denique vetustate, differentem favore sublevetis, gratiâ juvetis, benevolentiâ confirmetis, assensu & judiciô sustentetis æquissimô, quantâ possum animi contentione atq; studiô, quantâque debeo cum observantiæ significatione, ab universis & singulis vestrûm peto. Ita enim futurum est, ut facilitate vestrâ in altum invectus mare, Orationis cursus multò facilior existat, & solutior. Sicut enim æquorum impetus, lætis acclamationibus redditur alacrior; Ita illis, quibus in aliquâ hominum frequentiâ est dicendum, auditorum candore animus additur.

§. 12.

Antequam anchoram solvam, peto, ut mihi operam dare velitis, quò bonis & optatis auspiciis scopum meum attingam.

§. 13.

Interim à vobis omnibus & singulis præsentibus peto, ut mihi hôc locô breviter & modicè balbutienti potius,

tius, quàm dicenti benignas præbere aures dignemini.

§. 14.

Quod dum indubitatis Argumentis demonstro, à vobis peto, ut exigui temporis attentionem mihi non denegetis.

§. 15.

Hæc cùm ipsi vos optimè teneatis meditata, nihilominus dubitandũ erit mihi, quin jam silentium pollicentes, me patienter sitis audituri. Imprimis mihi gaudendum esse lætandumq; video, partim quòd vos ad audiendum tam avidos, ad percipiendum tam promptos contempler: Vos omnes tàm attentos, quàm impudens ego, quam tremebundus huc ascendi. Nunc verò vestrô me persequimini favore, atque hilaritatis adspectu me longè alacriorem reddite.

§. 16.

Quæ quoniam angustiora parietes faciunt, actioque causæ maximè debilitatur locô, tuum est, Cæsar, qui pro mul-

multis sæpè dixisti, quid mihi nunc animi sit, ad te ipsum referre, quò faciliùs tum æquitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

§. 17.

Et quoniam præter cœteros omnes cujuslibet nationis Adolescentes, vos N. ingeniosissimos esse, & literarum appetentissimos, jam pridem cognitum & perspectum habeo: sed tamen (ut fit) in istâ ætate plerosque vestrûm aut ignorare, quibus modis id assequatur, quod magnoperè concupiscunt, aut apertam ac patentem Musarum januam non ingredi; Statui vobis hodiè nunc breviter exponere, quâ ratione, si publicè profitentes auditis, plurimum in doctrina proficere valeatis.

§. 18.

Quæ cùm ita se habeant, mihique ipsa per se delectæ ad dicendum materiæ dignitas, satis magnam audientiam factura videatur: tamen magis con-

fue-

ſuetudine, quàm quod ita neceſſarium judicem, petam â vobis, ut mihi res pulcherrimas brevi Oratione comprehendere meditanti. exigui temporis attentionem ne denegetis.

§. 19.

Vos chariſsimos, nec non doctiſsimos, rogo, ut hanc noſtram auream benignè audiatis materiam.

§. 20.

Adeſte igitur bonæ frugi, & optimæ ſpei, melioribus animi bonis incitati, genii & ingenii felices, A. adeſte inquam & me dicentem audite.

§. 21.

Quod cum facere aggredior, à vobis, Aud. Opt. quâ par eſt benevolentiâ, peto atque contendo, ut me de quæſtione hâc utili ac difficili diſſerentem breviter & leviter pro veſtrâ benevolentiâ audiatis.

§. 22.

Sed quod cenſeo, procul dubio cenſebunt mecum haut parum multi, adeòque in caſtra mea veluti pedanei tranſ-

tranſibunt volentes; ſi invictis rationum monumentis, non amori aut odio locum dare maluerint.

§. 23.

Adeſte ergo animis, qui adeſtis corporibus, atque me de neceſſariâ, jucundâ, & ſcitu cognituque digna quæſtione, non dicentem, ſed balbutientem, pro veſtro candore ſedulo & diligenter audite.

§. 24.

Commendaturo itaque mihi rei Herbariæ ſtudium, illudq́; brevi & levi Orationis ſtylô ac filô, comprehendere & quatuor capitibus includere meditanti, ut faciles & benevolas aures præbeatis, ſubmiſsè & peramanter oro.

§. 25.

Vos igitur A. optimos, me de citatâ materiâ ſermonis ſimplicitate diſſerentem, ut benevolè audiatis, reverenter & obnixè, quâque poſſum animi ſubmiſſione, rogo.

§. 26.

§. 26.

Quod dum præstare conor, benignè & bonâ cum veniâ me quæso audite.

§. 27.

Sed instituti mei telam exordiar, in quâ ne me vestræ benevolentiæ aura deficiat, per Heroas istos inclytos Germaniæ, vos obsecro & obtestor.

§. 28.

De hâc quæstione ut pro genii & ingenii modulo me balbutientem, timidiùs voce differentem, eâ benevolentiâ & æquanimitate audiatis, quam anteà meis N. præstitistis, submissè oro, obsecro, obtestor.

§. 29.

Adeste itaq; A. adeste, inquam, non tam oculis ac auribus, quàm animis præsentissimis, qui nostri honoris & amoris gratiâ ad hoc augustissimum virtutis ac eruditionis theatrum, numerosissimô agmine confluxistis.

§. 30.

Antequam autem in hâc meâ susceptâ

& institutâ Orationculâ progrediar, atq; altiùs ascendam, unum est, quòd à vobis contendo atque peto, ut, quæcunque enarravero, haut vobis molesta atque ridicula, sed potius grata & accepta sint.

§. 31.

Quare Adolescentes artium ingenuarum ingenui, quotquot corporibus adestis, animis quoque mihi adesse velitis, meque per tempus modicum audire, hoc inquam est, quod à vobis etiam atque etiam summopere contendo.

§. 32.

Rogo obnixè, ut mihi suâ faventiâ adesse non dedignentur.

§. 33.

Quòd si clementiæ tuæ auram, juxtaq; cœteri candoris, humanitatiq; vestræ ventum mihi aspiraveritis, evincam profectò, ut intelligatis, quantum à veritatis tramite adversarius abludat, quantô in errore deliteat, quantam non modò

pissi-

piißimo Muſarum choro, ſed principum ſanctißimo Throno injuriam faciat.

§. 34.

Ac mihi quidem hoc unum erit in hâc oratione ſtudium, ut quæcunque dixero, non ſolùm jucunda, ſed etiam admiranda eſſe videantur.

§. 35.

Tantum hoc peto, ut juſtiſſimam afflicti hominis defenſionem attentè bonâque cum veniâ audiatis.

§. 36.

Quamobrem dum multorum annorum accuſationi breviter, dilucideque reſpondeo, quæſo ut me, Judices, ſicuti facere inſtituiſtis, benignè attentèque audiatis.

§. 37.

Quia verò prærogativarum tam illuſtria concurrunt & affluunt argumenta &

- - - - adeò ſunt multa, loquacem ut Delaſſare queant Fabium. - -

Elaborabo, mi frater Friderice Achilles,

les, ut breviter magis & ad rem propoſitam, quam prolixè & ornatè dixiſſe videar.

§. 38.

Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non moventur, rationibus agendum eſt, adeſte animis, mihique breviter oſtendenti, quàm varia, quàmque multiplex eruditio requiratur in iis, qui literas humaniores docent, eâdemque operâ, quantos ex eorum navitate & induſtria Reſp. percipiat fructus, non aures modò, ſed mentes quoque attentas, quæſo, pauliſper adhibete.

§. 39.

Quæſo à vobis, ut pro veſtrô more & amore benignè, patienter, & attentè me de honeſtiſſimâ re dicentem audiatis. Id ſi nulla alia res, tamen ætas mea apud vos impetrare debet, quæ propter imbecillitatem, non poterit ſuſceptum onus perferre, niſi ſingulari favore animum meum confirmaveritis. Vos ergo vela oratiunculæ meæ maximô favoris Zephyro & diligen-

gen-

gentissima attentione afflaturos esse, non dubium est.

§. 40.

Vos ergò, qui adestis in hôc consessu, vehementer etiam atque etiam oro, ut liberè, & sine affectu, propositam controversiam expendatis, præjudicatasque opiniones, ab animo tantisper abesse jubeatis, dum meas vobis rationes exposuero.

§. 41.

Quia verò multum positum in vestra benignitate, audiendi facilitate, etiam atque etiam peto, eâ quâ par est, reverentiâ, ut mihi Nestorium in modum non eloquenti, sed omissis verborum pompis & gyris, rejectis sermonum picturis & lenociniis, comptuq; sententiarum, verba facienti ac balbutienti, vacivas aurium vestrarum ædes reseratis, benevolentiam auscultandi præbeatis, imò præstetis: summis viribus contendam, obnixè dabo operam, ut rotunditate Orationis, brevitate sermocinationis fastidium leniatur, nauseæ abigatur.

§. 42.

Sed antequam alteriùs procedo, unum vos precabor, ut si minus, quàm pro atrocitate hujus flagitii dicam, & propter imbecillitatem oneri succumbam, id pro vestrâ æquitate ætati meæ, gravibus argumentis tractandis adhuc immaturæ, condonetis, quod me quidem facilè à vobis impetraturum spondet summa, mihi non ignota, vestra humanitas.

§. 43.

Sæpè enim mihi venit in mentem subvereri, ne si fortè de me, meæque vitæ rationibus aliqua dicere conatus fuero, in arrogantiæ suspicionem incidam: quam in hôc meæ Orationis principiô, maximè à vobis velim deprecari: ut quæ mihi de me necessariò dicenda sunt in hâc causâ, non ea me, meâ sponte, qui ab omni penitus ostentatione semper alienus fui; sed ab adversariis coactum, ne turpi judicio

convictus abeam, commemorare existimetis.

§. 44.

Quare omnes oro atque obtestor, ut etiam meas de hâc re contrarias rationes aquâ vultu accipiatis, & mihi in hôc medio constituto, non Ulyssis in Syrenum cantionibus, sed benevolas & apertas aures præbeatis.

§. 45.

Te quoque M. Fanni, quæso, ut qualem te jam antea populo Rom. præbuisti, cum huic idem quæstioni judex præesses, talem te & nobis & populo Rom. hôc tempore impertias.

DE

DE GRESSU A PROPOSITIONE AD CONFIRMATIONEM.

CAPUT DECIMUM.

§. 1.

ATque ut hinc potissimùm exordiar, & ut inde mea proficiscatur Oratio: Nemini vestrum dubium, &c.

§. 2.

Et ut inde sumam initium Orationis meæ.

§. 3.

Et ut hinc potissimùm Orationis meæ tela ac vela pandam; consideremus paulùm &c.

§. 4.

Principio igitur, quanta sit Magistratus dignitas, vel hinc satis liquet,

quòd ipse DEUS illum instituit. Gen. 9. &c.

§. 5.

Primò igitur, quô locô superbiam habere debeamus, vel inde satis liquet, quia originem suam trahit omnis fastus non à DEO, sed ab ipsô Satanâ, omnis virtutis & honestatis hoste.

§. 6.

Undè verò orationis meæ sumam initium? Solent plerique hujus generis Orationes auspicari à patriæ & generis nobilitate, à divitiarum aliarumque rerum splendore, sine quibus, si nemo laude dignus esse potest, ex numero virorum illustrium multi delendi sunt, quorum virtus & fama ad remotissimas etiam orbis partes emanavit.

§. 7.

Ut igitur ab ovo, quod dicitur, rem ordiar, orta est hæc pestilens Jesuitarum secta circa annum *1540.* Paulô *III.* Pontifice, qui sua etiam authoritate ordinem

dinem istum, contra veterum Pontificum decreta confirmavit.

§. 8.

Quid verò primò hîc prædicem, anne sapientiam N. N. commendem? An heroicam penè istam animi magnitudinem laudem? An verò prædicem earum singularem pietatem & φιλοστοργίαν; Ut enim nulla virtus esse potest sola, cum sororio quodam necessitudinis vinculo inter se sint colligatæ: sic in hôc factô tàm multæ lucent virtutes, ut de quâ primô dicere velis, non abs re dubites. Sed in illô pulcherrimô tamen virtutum chorô, nescio, quomodo præ cæteris eniteat pietas illa, & sanctus amor, quô suos maritos sunt complexæ.

§. 9.

Et quidem si nihil aliud dicerem, Aud. quam factum illud ἀσπόνδως pugnare cum ipsâ naturâ, jure tamen vel illa sola ratio evinceret, auctores illius cum ratione planè insaniisse.

§. 10.

Patriam igitur, ut hinc orationis initium sumam, habuit illustrem & omnibus rebus laude dignis affluentem.

§. 11.

Principiò de DEO cultusque divini ratione, quæ majoribus nostris usitata fuit, nonnihil dicamus. Erunt illi &c.

§. 12.

Ut verò indè orationem meam ordiar, quis est ita ab omni sensu remotus, qui, cùm à curis vacuus esse possit, in curarum mare sese det præcipitem? qui cùm liber esse possit, ultrò tristem servitutem accersat? Est hoc etiam brutis animantibus naturâ insitum &c.

§. 13.

Quis enim est, qui cùm ipsum, quem accuso, factæ cædis auctorem esse dubitet, cùm illud tàm in proclivi sit, quàm pluvia, cum imber est.

§. 14.

Quid verò primùm quærar, aut unde potissimùm exordiar, Judices, aut quod, aut à quibus auxilium petam?

§. 15.

Adversarius noster, Aud. veritati laboranti (ut jactitat) frustrà succurrit, dum ipsam potius evertere, quàm fulcire molitur.

§. 16.

Viri ac mulieris legitimam conjunctionem, quod matrimonium appellamus, rem esse non tantùm naturalem, sed etiam divinam, nos Sacræ literæ docent: quibus impium esset omninò non credere.

§. 17.

Atque ut ab ipsò sceleris hujus nomine primùm oratio mea proficiscatur, ne qua fortassis in vocabulum cadat ambiguitas, ludum omnem in

fortunæ varietate positum, & qui non urbanô ingeniô, civilique more, sed casu & fraude tractari solet, Alex nomine comprehendi intelligimus.

§. 18.

In tàm ubere autem & copiosâ rerum, quæ se ad dicendum offerunt, segete, commodè mihi videor initium ducere à prudentissimô, licet naturali tantùm lumine irradiati, religiosissimi tamen secundi Regis Rom. Numæ Pompilii facto, quô ad continendam in novâ Repub. multitudinem indomitam atque infrænem, efficacissimam rationem esse existimavit, si primùm Deorum metum omnibus quàm maximum injiceret, cumq; eum non facilè descensurum in hominum animos videret, simulavit sibi cum Dea Ægeria congressus nocturnos, cujus admonitu, quæ acceptissima Diis essent, sacra constitueret. Prudentissimum verò & tantô Rege dignum commentum, quod ostendit &c.

§. 19. Etsi

§. 19.

Etsi omnes singulari laude sunt digni, qui in assequendâ præclararum artium scientiâ operam & industriam suam collocant, præcipuam tamen ii laudem merentur, qui veluti Numinis quodam afflatu perculsi, cæteris omnibus posthabitis, ad divinarum & cœlestium rerum intelligentiam omnes cogitationes suas atque omnia studia contulerunt.

DE MODO CONFIRMATIONIS.

CAPUT UNDECIMUM.

§. 1.

Quis in hoc cœtu tàm imperitus, tàm indoctus, mentecq; plane captus est, qui &c.

§. 2.

Quis tàm extremè insulsus & stupidus, tàm tardus & hardus, qui &c.

§. 3.

Omnibus in hâc mundi machinâ in confesso est, quantum mali afferat pessimum illud vitium.

§. 4.

Omnes in splendidissimô, & præclarissimô hujus mundi theatrô satis exploratum, perspectum, cognitumq; habent, quantam utilitatem, quanta commoda, quantos

tos honores, quantum respectum, ex præstantissimô illô literarum studiô capere possint.

§. 5.

Quis tàm emotæ & profligatæ mentis est? quis adeò perfrictæ frontis? Quis animi tàm duri? quis cordis adamantini, qui &c.

§. 6.

Primô igitur, quô loco superbiam habere debeamus, vel inde satis liquet, quia originem suam trahit omnis fastus, non à DEO, sed ab ipsô Satanâ, omnis virtutis & honestatis hoste.

§. 7.

Si est honestum pro patriæ salute suam salutem & vitam devovere, quid potest esse illô honestius? Si pium est pro asserendô honore & gloriâ DEI pericula forti & magnô animo subire, quid Davide magis pium est, qui simul ac audivit impurum Philistæum Israëlis DEUM contumeliâ afficere, conquiescere non potuit, nisi contu-

meliam illam sanguine etiam suo vindicaret.

§. 8.

Cùm multæ sint virtutes, quibus ornatæ debent esse fœminæ, quæ quidem in conjugiô vivunt, tamen nihil est, quod magis illarum decus augere possit, quàm indulgentia, quàm pietas, quàm amor adversus maritos.

§. 9.

Ut igitur de sede & loco habitationis primò dicam, nidos suos Ciconiæ construunt inter homines, & habitant in tectis domorum, singulari quodam in homines amore.

§. 10.

Nam in ipsô mundi primordiô, cum jam DEUS Opt. Max. cœtera omnia procreasset, deniq; virum etiam ex purissimis terræ medullis effinxit; cujus injucundam prorsus & molestam fore vitam intellexit, nisi sociam ei mulierem adjungeret.

DE

DE AMPLIFICATIONE AVTHORITATIS.

CAPUT DUODECIMUM.

§. 1.

VErùm ne ex meô, quæ dixi, cerebrô fingere videar, videamus Demosthenem, Oratorem acerrimum, de hâc re sic loquentem.

§. 2.

Evolve populorum annales, percurre sacras & prophanas historias, nimirum illis perlectis in hanc vocem erumpes: Dei fidem! Quàm infelices, quem tragici fuerunt illorum exitus, qui se magistratui per seditionem opposuerunt!

§. 3.

Taceo jam, quod saniores etiam inter

ter Ethnicos naturæ beneficiô agnoverint, Magistratum à Deo esse.

§. 4.

Ad me quod attinet, ingenuè apud vos depono, me non posse movere animos vestros, nisi eos moveat incomparabilis ille Latinitatis Parens Cicero.

§. 5.

Hinc Alphonsus Rex Principis typum esse voluit Pelecanum. Ut enim hæc avis secundùm naturæ venatores, rostrô suô sanguinem è corpore suô prolicit ad reficiendos pullos suos: Ita Magistratus Reges & principes pro subditorum suorum salute debent esse, ut sint quod esse volunt, & quod esse debent, Pastores populorum, & Patres patriæ.

§. 6.

In cœlum laudibus efferuntur Fabii, quod unâ horâ pro Romanâ Rep. mortem oppetiverunt. Sed laude dignior David est, qui non tantùm pro patriâ suâ, sed imprimis pro gloriâ omnipotentis Dei pugnavit.

§. 7. Cor-

§. 7.

Cornelius certè Tacitus, elogii cæteroqui parcus, virtutem illorum multis nominibus commendat.

§. 8.

Sed ne solus hoc dixisse videar, considerate dulcissimum illum Pelicanum, Jesum Christum, qui sanguinem suum pro vestrâ pace & æternâ beatitudine in arâ crucis profudit, vos illum ejusque gloriam defendentibus auxiliô & societate vestra adesse recusatis?

DE

DE BIBLIORUM DICTIS.

CAPUT XIII.

§. 1.

Hujus gratiâ scripturarum sanctarum amœna prata ingredior, viridissimas sententiarum herbas (ut ita dicam) exarando carpo, legendo comedo, frequentando, ruminando atque congregando tandem in altâ memoriæ sede repono, ut tali modò tuâ dulcedine deguſtatâ, minûs istius miserrimæ vitæ amaritudinem sentiam.

§. 2.

Conferamus nos ad sacram scripturam, juxta quam omnes actiones, dicta, facta, institutaq; tanquam ad amussim dirigere meritò tenemur.

§. 3. *Vis*

§. 3.

Vis verò scire, qualem exitum tandem sortiatur superbia? Historias percurre tùm sacras, tùm prophanas, nimirum liquidò deprehendes, verissimum esse Salomonis proverbium: Ruinam præcedit superbia.

§. 4.

Videamus hâc de re sacram Scripturam, quam divus ille Chrysostomus mare appellat, in quo Elephas natat, & agnus peditat; quid illa? &c.

§. 5.

Infinitis hæc, quæ dixi, Scripturæ testimonis corroborare possem, si non temporis ratio habenda esset; Ex multis igitur pauciſſima hæc sufficiant: &c.

§. 6.

Vultis Scripturæ testimoniis hoc comprobem? Innumera, credite mihi, in medium proferrem, si vestrâ lenita

nitate, quam hactenus mihi benevolè accommodastis, abuti vellem; Unum ergò dixisse sufficiat, &c.

§. 7.

Verùm de his quid sacræ loquuntur Literæ? In sudore vultus tui vescéris pane tuô, cœlitùs clamat Ter Optimus DEUS.

§. 8.

Verùm quid audio? quod fragore perterreor? Verbi Divini tonitru percellit meam conscientiam, Quid ergò illud? &c.

(o)

DE

DE TRANSGRESSIONE AB AUTHORITATE AD AUTHORITATEM.

CAPUT XIV.

§. 1.

QUod alibi dilucidiùs & clarioribus verbis repetit ferè Homerus fons omnis liberalis doctrinæ.

§. 2.

Si plura dicta summorum Authorum expetitis, adducam ex innumerabilibus Xenophontem, cujus in dicendo suavitatem & venustatem omni tempore admirata est pia antiquitas.

§. 3.

Sed addo dictis superioribus dictum huic rei non inconveniens, divi Augustini, ut tanti viri vox & authoritas

tas, vos ad amorem & studium optimarum artium alliciat.

§. 4.

Hoc & Solon ille Legislator prudentissimus optimè intellexit, hoc consideravit, hoc perpendit, ad hanc normam leges suas direxit, ad eam tanquam ad Lydium lapidem easdem comprobavit.

§. 5.

Quid præclarius, quid dilucidius in hanc meam sententiam à quoquam dici possit, non reperio.

§. 6.

Vocem profectò dignam, quæ aureis literis in omnium nobilium & procerum parietibus, & in aularum vestibulis inscribatur.

§. 7.

Quid verò Orationi accedere potest ad hanc sententiam confirmandam gravius? Quid clarius, quid dilucidius, quid excellentius?

§. 8.

Audite, auditores, quid quasi de cœlô ipsa

ipsa Justitia atq; æquitas de hoc N. clamitet, quid pronunciet, quid statuat.

§. 9.

Verùm ne ex meo cerebrò omnia fingere videar, si plures rationes desideratis, ipsarũ Legum Civiliũ oracula, in quibus ipsa æquitatis norma continetur, eadem de re vobis exponam. §. 10.

Sed in hâc tot præclarorum virorum copiâ ac multitudine, unde potissimum exordiar, aut quod, aut à quibus, hujus sententiæ meæ perspicuitati & veritati magis illustrandæ auxilium petam? Prodeat mihi &c.

§. 11.

Verùm ut huic meæ sententiæ fidem adhibeatis firmiorem, me ad sacrum Bibliorum codicem conferam, atque ex illo unum atque alterum dictum, ad probandam hanc meam sententiam adducam.

§. 12.

Ut autem cò citiùs meæ oratiunculæ subscribatis, producam vobis authoritatem illorũ, qui priscis temporibus vixerunt. Prodeat

deat igitur primò Horatius poëtarũ Dux & Lux. &c. §. 13.

Meam hanc opinionem non ſolùm ſancta literarum monumenta, ſed etiam ſanctorum virorũ dicta & ſcripta probant, confirmant, corroborant; ut eorum dictis & ſcriptis hanc meam opinionem ad oculum quaſi probare & demonſtrare omninò non dubitem. §. 14.

Extant in ſcriptis tàm Biblicis quàm Philoſophicis multa præclara dicta, quæ nos, ut ingens hoc vitiũ tanquam ipſum Diabolum fugiamus, admonent.

§. 15.

Sed recitare plura dicta longum eſſet, tantùm commemorabo unum quoddam dictum, quod extat apud Demoſthenem, hunc in modum: &c.

§. 16.

Dubitatis adhuc, Aud. Ecce quô dubium ex animô veſtrô evellam, in promptu eſt. Sacræ enim paginæ hoc docent, Patriarchæ comprobant, Prophitæ evincunt, Apoſtoli teſtantur.

DE EXEMPLORVM INDUCTIONE.

CAPUT XV.

§. 1.

Poſſem infinita, ſi tempus concederet, recitare exempla, ſed modus potiùs quàm multitudo eſt obſervandus; Unum igitur aut alterum in medium proferam.

§. 2.

Nec mihi exempla deeſſe poſſent, ſi longiùs hanc Orationem pertexere vellem.

§. 3.

Exempla mihi deeſſe non poſſent, ſi Orationem non contrahere, ſed exponere vellem, & ſi de Orationis fine non eſſem ſollicitus.

§. 4.

Si Exempla desideratis, considerate mecum Homerum Poëtarum facilè principem, qui laudat Penelopen, quòd coluerit fidem Ulyssi datam, nec blanditiis procerum ab ejus amore se passa sit dimoveri.

§. 5.

Vultis exempla proferam? Memoriæ proditum est, visum esse aliquando magnum agmen Ciconiarum, quæ in medio statutum adulterum rostris confecerint. Convertite nunc oculos ad homines. Quid adulteriis? Quid fœdis libidinibus apud illos est vulgarius? &c.

§. 6.

Vis Exemplò quod dixi, comprobem? Unus Arpini Cicero, unus Athenis Demosthenes in ore fuit omnium, admirantium illam inusitatam felicitatem & copiam.

§. 7.

Hinc nunquam non laudo sapientem illam Metelli Numidici Orationem,

nem, in quâ affirmat, præclarè cum illis agi, qui sine uxoribus vitam degere possunt.

§. 8.

Nihil est incertius vulgò &c. Sic Ephesi Paulum Tarsensem, primò tanquam DEUM immortalem venerati sunt: deinde non ita multò post ex urbe suâ, tanquam impium hominem expulerunt.

§. 9.

Vidi ego semel, cùm tempus adventaret, quò Christiani omnes ad illud solenne epulum, quod Eucharistia vocatur, purgatis priùs animis accedere solent: quantâ cum reverentiâ domesticos omnes priùs admoneret, ut crimina peccataque sua diligenter ac dolenter sacerdoti confiterentur.

§. 10.

Celebrent Romani C. Fabricii justitiam; extollant ejusdem hominis continentiam; laudent M. Curij continentiam, jactent alii &c. Tuberonis

Consulis egregium facinus; Tamen si quis diligenter hoc N. nostri factum consideret, intelliget profectò, quôvis eorum, quæ scripta leguntur, multò esse præstantius, atque memorabilius.

§. 11.

Hinc tàm de sapientissimis Ethnicis, quàm de pientissimis Christianis permulti extiterunt, qui desiderium mortis gravissimè indicarunt: Ex hisce verò innumeris hosce produxisse sufficiat.

§. 12.

Quô verò omnia, quæ dixi, luce meridianâ clariùs eluceſcant, considerate, an non sapientissimè fecerint Romanæ Reip. Censores Camillus & Posthumius, homines antiquæ severitatis atque prudentiæ: Qui in censendis Romanis civibus, quoscunque cœlibes & sine uxore perveniſſe ad senectutem intellexerunt, eis pœnam non mediocrem irrogarunt, & illius pœnæ nomine ferre nummos in ærarium jusserunt.

§. 13. Ut

§. 13.

Ut rem Exemplô illustriorem reddam: ajunt Ciceronem, cùm eum quidam objurgarent, quòd homo sexagenarius puellam virginem duxisset, facetè respondisse; Cras mulier erit.

§. 14.

Verùm ut video, non capiunt crassæ & obtusæ aures compositam & modulatam Orationem, ad exempla ergò confugiam, & illorum unum atque alterum in medium proferam.

§. 15.

Midas Phrygiorum Rex, ut ad fabulas veniamus, ineptum atque insuisum Marsyæ tibicinis strepitum suavissimis Apollinis carminibus prætulit, undè meritissimò iratus Apollo traditur asininas illi aures affixisse &c.

AB EXEMPLIS AD EXEMPLA.

CAPUT XVI.

§. 1.

QUid dicam de aliis sanctis, quorum mentio in Sacris Literis satis frequens.

§. 2.

Hujus rei etiam apud Ethnicos Exempla occurrunt quamplurima.

§. 3.

Quamvis autem hæc adducta exempla ad confirmandam & confortandam orationem meam sufficere videantur: non tamen aliorum mentione faciendâ supersedere possum.

§. 4. *Sed*

§. 4.

Sed ne in hisce solis exemplis firmitudinem orationis meæ positam fuisse existimetis; velim conjectis oculis aspiciatis.

§. 5.

Quid autem de clarissimò virô, hujus Archiepiscopi nostri parente Aloysiô, commemorem? qui propter insignem jurisprudentiæ cognitionẽ multos honores & dignitates, & Galeatiô & Ludovico Ducibus obtinuit.

§. 6.

Sed ut una hirundo non facit ver; ita unum Exemplum non erit satis ad probandum id, quod intendo: adducam ergò & alia.

§. 7.

Sed quid ego antiquorum res gestas commemoro? videamus illa, quæ à nostri seculi heroibus gesta sunt, & hodiè ante pedes nostros versantur.

§. 8.

Verùm enimverò satis desudavimus in enarratis priscis exemplis. Videamus nunc etiam recentiora, & illorum insignem utilitatem paucis delibemus. Quænam autem illa?

§. 9.

Hactenus quidem sat copiosè prolixis fuimus exemplis, iisque thema nostrum, quoad fieri potuit, jugiter consolidavimus. Verùm nisi adhuc unum in medium protulero, nihil planè dixisse videor. Ecquodnam ergò illud?

DE INDUCTIONE PERSONARUM.

CAPUT XVII.

§. 1.

INtueamur saltem Poëtarum Latinorum facilè principem Virgilium.

§. 2.

Audite Theologum Lutherum, Theologorum illuminatissimum.

§. 3.

Audiamus, quid nobilissimus, quid sanctissimus, ut in legum voluminibus appellatur, de ejusmodi ludorum genere scripserit, quid dixerit Ulpianus.

§. 4.

Audite Literatorum doctissimum Varronem.

§. 5.

Prodeat Poetarum Lux & Dux Homerus.

§. 6.

Regiè & egregiè, Regius & egregius Ecclesiæ Doctor ac doctor Augustinus locum de N. tanquam in unum fasciculum colligens, his verbis concludit.

§. 7.

Videamus quid hâc de re sentiat Gentium [illegible] & Doctor Paulus.

§. 8.

Homerus omnis liberalis doctrinæ exactissima norma, atque canon totius rationis dicendi: nec minùs eloquentiæ, quantacunque in homine esse potest, parens. Quid ille? gravissimè in hæc erumpit verba.

§. 9.

Audiamus Lyricæ festivitatis antesignanum, Romanorum Pindarum, Horatium.

§. 10. Te-

§. 10.

Testatur Moses, antiquissimus historiæ sacræ scriptor.

§. 11.

Cui & suum calculum addit Moralis ac verè Divinus Philosophus Ecclesiasticus, Jesus Sirach.

§. 12.

Esaiam hâc de re audite, quid dicat, paulùm attendite: Huic addite Davidem: His adjungite sanctos DEI homines; & alios, qui idem ore confitentur, his annumerate.

§. 13.

Audite hâc de re Reverendum & Clarissimum Doctorem Martinum Lutherum, Patrem & Præceptorem nostrum, omnis pietatis & observantiæ cultu dignissimum.

§. 41.

Scitè admodum & eruditè scripsit Seneca, Apollinis judicio, omnium mortalium sapientissimus.

§. 15.

Quod non minùs utiliter, quàm eleganter magnus Medicorum Princeps Hippocrates admonet, illud certè dignum est, ut omnium hominum oculis atque animis obversetur.

§. 16.

Audiamus præclarissimum illud eloquentiæ decus, totius Latinitatis parentem, & magnum illud totius mundi decus, verumq; Patrem patriæ N. &c.

§. 17.

Non minùs pietate grave, quàm gratitate pium gratitudinis post se reliquit encomium N. cujus sensus his considerabitur & continetur verbis.

§. 18.

Vultis, summum illud eloquentiæ decus Ciceronem perducam?

§. 19.

Vultis, ostendam vobis magnas Romanâ urbe exeuntes catervas?

§. 20.

§. 20.

Sed quid ad veterum statuas, quid ad antiquorum propemodum abolitas imagines, quid ad intermortua exempla aures vestras revoco? cur non potiùs in hæc viva exempla, quorum aspectu & claritate perfruimur, oculos vestros intendo? &c.

§. 21.

Prodeat verò locô primô inter Philosophos non postremus N. N. &c.

§. 22.

Audite Canticorum & Psalmorum Patrem & Prophetam Davidem.

DE AMPLIFICATIONE A CAVSA EFFICIENTE.

CAPUT XVIII.

§. 1.

NEc profectò hoc immeritò. Originem enim suum, cum aliis rebus habet, non ab Apolline Delphico; non Ægeriâ, aut Lycurgo Lacædemonio: sed ab ipso qui est ipsissimus ipse.

§. 2.

Hanc artem meritò & optimo jure colimus, honoramus, magnificamus. Hæc enim non est excogitata, aut instituta ab aliquo profanæ superstitionis auctore, non à Capitolini Jovis, non à Palatini Apollinis, non à Romanis Martis, non à Saxonici Arminti, non à veteris pejoris cordis barbaro aliquo cultore inventa, sed &c.

§. 3. *Ut*

§. 3.

Ut primùm hujus rei originem, remotis cæteris paulò accuratiùs consideremus, (quod & ipsa necessitas flagitat, æquitas postulat, ratio mandat) reperimus non hanc profectam ab aliquo homine, verùm à Deo mortalibus datam & concessam esse.

§. 4.

Quid enim aliud isti homines agunt, quid in votis habent, nisi ut sepultô verbô DEI, rursum mancipia Babylonicæ meretricis, & per illam gehennæ fiamus?

§. 5.

Etenim cùm multæ sint virtutes, quibus ornatæ debent esse fœminæ, quæ quidem in conjugiô vivunt, tamen nihil est, quod magis illarum decus augere possit, quàm indulgentia, quàm amor, quàm pietas adversus maritos.

§. 6.

Quis enim nobis hæc tam æqua jura (si Diis placet) descripsit? Natura me her-

hercules, quæ bonarum legum debet esse fons, id non fecit.

§. 7.

Vidit enim monstri esse & paradoxi simile, eam rem, quâ nihil secundùm communem hominum sensum est stultius & gratiosius, vituperare.

DE EXTOLLENDI FORMULIS.

CAPUT XIX.

§. 1.

QUô quid utilius, quid magnificentius esse possit, non video, non intelligo.

§. 2.

Nihil profectò ad virtutem, nobilitatis studia inflammanda vehementius: Nihil ad animum altò veternò sopitum, excitandum fortius.

§. 3.

§. 3.

Quid hâc re dici meliùs, quid verius, quid sanctius posse putatis? Prophetæ dixerunt, Apostoli approbarunt, & qui est ipsa veritas, protulit.

§. 4.

Beatius in hâc vitâ nihil obtingit, quàm si divinô auxiliô freti, & prudentiâ ad hanc rem necessariam imbuti sumus.

§. 5.

Quod ingenii flumen, quæ dicendi vis tanti viri meritis & virtutibus par reperiri potest? Quæ longitudo temporis sufficiet illi, qui tam copiosi & multiplicis argumenti dignitatem pertractare & persequi velit?

§. 6.

Quid enim pulchrius est & admiratione dignius, quàm sic illustrare alios, ut nihil ipse splendoris ab aliis mutueris; quod certè de Luthero nostro verissimè dicere possumus.

§. 7. O

§. 7.

O Divinum factum! O facinus admiratione & prædicatione semper dignum!

§. 8.

Quid per Deum immortalem honestius, pulchrius, laudabilius hoc N. facto accidere potuit?

§. 9.

Quis non animô concidisset repentè, visô monstrosô illô Gigante & inusitatæ molis homine? Quis non judicasset, quod Goliathus ille solô digiti crepitu Davidem potuisset exanimare?

§. 10.

Quid hâc armorum societate, in quâ pro æterni Regis Diplomate, pro sacrosanctâ religione & fide Christianâ pugnatur, pulchrius est, & ad gloriam excellentius?

DE

DE MINUENDI FORMULIS.

CAPUT XX.

§. 1.

Quid autem contra Rempublicam calamitosius & pestilentius? Quid pernicioſiùs constitui potest.

§. 2.

Verùm quid cogitari absurdius? quid pronunciari magis ridiculè? quid per febrim somniari ineptius unquam poterit?

§. 3.

Naturæ autem nostræ, proh dolor! tanta infirmitas est, tanta in rebus abstrusioribus caligo, tanta ingenii stupiditas, tanta mentis hebetudo, tanta cœcitas, judiciique tenuitas, ut &c.

§. 4.

§. 4.

Quid indignius vanâ gloriâ mente excogitari, quid injustius à justô homine suscipi possit, non video, non intelligo.

§. 5.

Quid enim? annon in omnibus penè sacræ Scripturæ paginis humilitatem nobis commendat, graviterq; profitetur, nullam se rem gravius detestari, & vehementius odisse superbiâ?

§. 6.

Quod malum est, quod ægriùs feratur, quàm ira DEI? Horrendum enim est in illius manus incidere. Quàm intolerabile est favorem & gratiam DEI amittere? Quàm triste est & luctuosum, ab eô divelli, & gehennæ mancipium fieri.

§. 7.

Quid pestilentius est) quàm speciosô humanitatis & pietatis mantellô suam impietatem sic velare, ut depositô etiam sacramento, forsitan aliquis contendere possit, nihil esse in istis hominibus, quod non humani generis salutem, & Christi Salvatoris nostri gloriam spiret?

§. 8.

Quid in servitutem redegit Siciliam, quid vastitatem illi adduxit, nisi Siculæ mensæ? Quid multas alias gentes perdidit, nisi summa rerum affluentia, quæ multorum malorum est officina, magistra virtutis esse non potest.

§. 9.

Dolendum sanè est, nos in animæ salute procurandâ tam socordes esse, cùm in caducis illis, quæ Deus longè infra nos esse posita voluit, tam simus ingeniosi & negotiosi.

§. 10.

Si quis è priscis illis Germanis ab inferis ad superos veniret, & detestandum illum contemtum Dei agnosceret, quid esset quæso dicturus?

§. 11.

Quàm multas putatis esse inter puellas, quæ castitatem prædicant, ex rosmarino

rino quæ coronam gestant, quibus majores nostri crines resecuissent, ædibus quas expulissent, quibus igni & aquâ interdixissent?

§. 12.

Majores nostri quô cultu vixerint quæris? simplici, tenui & rusticano: atô rem indignam, profusis nos vivimus sumptibus.

§. 13.

Quô longiùs progredior, Auditores, eô ampliora se mihi ostendunt turpitudinis spacia.

§. 14.

Sed vereor, ne turpitudinis enarrandæ prolixitas, æquanimitatis vestræ beneficiô me privet.

§. 15.

Pervurite, Auditores, omnes angulos mundi, in nullo ejuscemodi judicii definitionem, quam præposteri illi judices finxerunt, invenietis.

§. 16.

Illum igitur ob pauculos nummos, aut

aut alias res fortunæ temeritati subjectas, lucis usurâ privare, idque indicta causâ, nonne horrendi scelèris locô censendum est?

DE COMMENDATIONE PERSONARUM.

CAPUT XXI.

§. 1.

O immortali nomine dignissimum Regem! dignum qui æternum usque sceptrum sui imperii gubernasset.

§. 2.

Testatur hoc magnus ille Aristoteles, qui tantam sapientiam, tantam doctrinam, tantam veræ Philosophiæ scientiam, tantum intellectum assiduis meditationibus sibi comparavit, ut jure & meritò ipsum, Philosophorum omnium, quotquot unquam exstituerunt, Patrem, Principem,

pem, imò naturæ etiam Filium ac Miraculum appellaverit antiquitas.

§. 3.

Sic namque statuit Aristoteles, quem Hieronymus unicum prodigium & miraculum in natura tota, & Cicero aureum flumen, nec non Erasmus sapientiæ ditissimum mundum proclamant.

§. 4.

Demosthenes orator tantus fuit, ut de eo Philippus Macedo dixerit, se magis eloquentiam Demosthenis formidare, quàm Athenienſium catapultas, arietes, cæterosque belli apparatus.

§. 5.

Præ omnibus Authoribus legendum esse Ciceronem statuimus, ex cujus ludo, tanquàm ex equo Trojano, innumeri oratoriæ disciplinæ heroes fortissimi prodierunt. In quorum albo haud absurdè annumerandus est, &c.

§. 6.

Ita Homerus, qui licet cœcus fuerit, ver-

versus tamen tantâ suavitate fudit, ut toti posteritati sint admirationi.

§. 7.

Hic Plato genus dicendi ejusmodi usurpavit, quod medium esset inter poësin & solutam orationem, tàm suave, ut creditum sit, Jovem, si humanâ voce loqui vellet, nullô aliô orationis genere, quàm Platonicô usurum.

§. 8.

Prodeat verò Hippocrates, Medicorum princeps, qui fuit vir honestus, nullâ ambitione aut cupiditate gloriæ incensus, sed veritatis amans.

§. 9.

Quid verò hâc de re Ovidius, patriâ Sulmonensis, ex equestri familiâ natus, & ingeniô ad poësin felicissimô.

§. 10.

Quid dicam de Pythagorâ, qui profectus ad Persas, magorum prudentiæ se informandum tradidit, â quibus siderum motus, cursusque stellarum didicit.

§. 11. Vul-

§. 11.

Vultis, in medium proferam Socratem? qui totam Philosophiam revocavit ad mores, & hanc summam dixit sapientiam, bona malaque distinguere.

§. 12.

Solon τῶν νομοθετῶν ἐνδοξότατος, eos qui otiô ac malis artibus hominibus molesti erant, gravissimâ semper pœnâ afficiendos paravit.

§. 13.

Cum Cicerone conjungendum puto Terentium, Cicerone annis 60. & aliquot antiquiorem. Inter Latinos enim nullos utilior loquendi author, purus, tersus, & quotidiano sermoni proximus, tum ipsô quoque argumenti genere jucundus adolescentiæ.

§. 14.

Ita Xenophon, Platonis discipulus, qui apis Attica dictus est, ob sermonem melle dulciorem.

§. 15. U-

§. 15.

Unum si protulero, omnes protulisse videor, Gustavum Adolphum, Magnum Sueciæ Regem dico, in quo deprehendes Alexandri Magni felicitatem; Philippi civilitatem; Cæsaris invictam animi vim; Augusti suavitatem; Trajani mansuetudinem; Alexandri Severi integritatem; M. Antonini doctrinam; Theodosii pietatem, & si quid aliud majus esse potest.

DE DIGRESSIONE A PRÆCEDENTE ARGUMENTO AD SEQUENS ARGUMENTUM.

CAPUT XXII.

§. 1.

Veniam nunc ad illam orationis meæ partem, quam strictim, quàm maximè potero, absolvam.

§. 2.

Atque hæc hactenus sufficienter dicta sufficiant: Restat nunc ultimò, ut brevibus me expediam, & ad secundam meæ orationis partem me conferam.

§. 3.

Dixi de primâ orationis meæ parte, longius fortassè, quàm ferebat tempus; sed omninò parcius, quàm res poscit, & ego volèbam: Dicam denuò breviter de altera.

§. 4.

Sed ne longiùs vos, Auditores, quàm tempus fert, detineam, velis quàm maximè potero contractis, ad extremam meæ orationis partem contendam.

§. 5.

At si cui Authoritas tanta sufficere non videtur, ille velim, mecum acutiori judiciô expendat, quanta pernicies reipublicæ, pestisque in eo versetur.

§. 6. Sed

§. 6.

Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, Fuit P. R. virtus, longè à domo bellare, & propugnaculis imperii sociorum fortunas, non sua tecta defendere.

§. 7.

Quid ego Hostiense incommodum, atque illam labem, ac ignominiam Reip. quærar?

§. 8.

Potestis constituere, Aud. hanc autoritatem multis posteà rebus gestis, magnisque vestris judiciis amplificatam, quantum apud illos Reges, quantum apud exteras nationes, valituram esse existimetis. Reliquum est, ut de felicitate, quàm de se præstare nemo potest, meminisse & commemorare de alterô possumus, timidè & pauca dicamus.

§. 9.

Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.

§. 10.

Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipsô neceſſarium, magnitudine periculoſum; Reſtat ut de Imperatore ad id bellum deligendô, ac tantis rebus præficiendo, dicendum eſſe videatur.

§. 11.

Satis eſſe arbitror demonſtratum, iis criminibus accuſatum eſſe N. ut honeſtè abſolvi nullô modô potuerit. Cognoſcite nunc, ita reum citatum eſſe illum, ut, re ſemel atque iterum præjudicatâ condemnatus, in judicium venerit.

§. 12.

Venio nunc eò, quò me non cupiditas ducit, ſed fides.

§. 13.

Video igitur, cauſas eſſe permultas, quæ iſtum impellerent. Videamus nunc, ecqua facultas ſuſcipiendi maleficii fuerit.

§. 14.

§. 14.

Videamus nunc ſtrictim, ſicut cœtera, quæ poſt mortem S. Roſcii abs te, T. Roſci, facta ſunt.

§. 15.

Quanta ſit Magiſtratûs dignitas, ſatis ex iis, quæ dixi, conſtat: Nunc non minorem ejus in hac civilis vitæ ſocietate neceſſitatem eſſe, planum faciam.

§. 16.

Porrò neceſſitas Magiſtratus ejusdem utilitatem ſatis evidenter arguit.

§. 17.

Sufficere poterant hæc ad demonſtrandam turpitudinem ſuperbiæ; Veruntamen ut ejus atrocitas fiat manifeſtior, breviter etiam illius fructus exponam.

§. 18.

Quid dicam de pietate & humanitate illius in pauperes, & difficultate aliquâ preſſos, quibus ſine ulla cunctatione ſubvenit? Nemo ad illum venit,

cujus inopiam non ultrà vires fermè sublevarit.

§. 19.

Venio nunc ad res gestas in quarum expositione sic versabor, ut præclara & egregia N. facta magis indice, quàm copiosâ oratione prosequar.

§. 20.

Porro non opus est, cùm multa de utilitate hujus facti dicam, ut res ipsa luculenter hoc dicat.

§. 21.

Sed mittemus orationem, quamvis utilem & consideratione dignam, & ad imagines illas virtutum, quæ in Ciconiis relucent, nos convertemus.

§. 22.

Veniamus nunc ad laudis partes, quas N. nostra, jure quodam veluti proprias sibi vendicat.

§. 23.

Dicendum nunc est etiam de rebus gestis N. quod faciam parciùs, non quod nihil laude dignum gens nostra pa-

patrârit, sed ne extra modum excrescat oratio, & vestrâ, Aud: benevolentiâ abutar.

§. 24.

Verùm mittamus tandem aras, & in forum eamus, & ad Civilis vitæ pietatem nos conferamus. Dispiciamus, inquam, &c.

§. 25.

Postquàm igitur excessit ex ephebis, & liberiùs illi vivendi potestas fuit, non se corporis voluptati, blandissimæ dominæ, tradidit, quod plerique faciunt adolescentes: neque aut equos ad currendum, aut canes ad venandum, ut ait Comicus, diligenter quæsivit: sed omnibus honestis disciplinis studiosè operam dedit.

§. 26.

Cùm igitur adolescentiæ suæ florem ita traduxisset, ut esset omnibus quasi quoddam laboris, continentiæ, religionis, innocentiæ, pietatis exemplar: subsecutum est postea tempus

illud, quò propter excellentem Juris Civilis doctrinam Laureâ decoratus in Juris-Consultorum Collegium cooptatus est.

DE DEDUCTIONE PER SPECIES IN AUTHORIBUS HUMANIS.

CAPUT XXIII.

§. 1.

PErcurrite mecum, si placet, Dialogos Platonis Ethicos, ac libros, quos de rationibus hominum informandis exaravit; deprehendetis profectò, N. studiosæ juventuti non modò utilem, sed etiam apprimè necessariam esse.

§. 2.

Scripta Plutarchi Moralia diligenter evolvite; & quid hominis ingenium, etiam

etiam sibi relictum, valeat, probè considerate.

§. 3.

Officia Ciceronis diligenter perpendite, & apparebit, nihil in illis contineri, quod vel ad virtutis doctrinam, vel ad beatitudinem non absque negotiô ducere queat.

§. 4.

Libellos, quos de virtutum functionibus reliquit Senea maximè nervosos, ac præceptis saluberrimis redundantes excute.

§. 5.

Pleni sunt etiam Jure-Consultorum Libri talium sententiarum, quibus præcipitur, clementiam & lenitatem in judicio non esse negligendam, ut sunt: Benigniùs interpretandæ sunt Leges, quò voluntas illarum conservetur. Favores debent ampliari, odia verò & pœnæ, quantum fieri potest, restringi.

§. 6.

Iniquus essem in naturam, quæ tot bo-

bonis cumulavit N. si silentio præterirem admirabilem illam vim ingenii, de qua inter alia differit Cœlius Rhodiginus.

§. 7.

Cornelius certè Tacitus, elogii cœteroqui parcus, virtutem illorum multis nominibus commendat.

DE DEDUCTIONE PER SPECIES IN AUTHORIBUS DIVINIS.

CAPUT XXIV.

§. 1.

ET enim si mellita & melliflua, sacrosancta DEI T. O. M. Biblia (id quod pietas vult, ratio postulat, honestas cupit, ipse Jehova mandat) sedulò ac diligenter pervolvere: si libros, quos magnus ille Theo-

Theologorum, ut ab Eusebio vocatur, Moses scripsit, diligenter ruminare: si scripta Davidis diligenter legendo perlustrare: si Prophetarum dicta velimus excutere; utique apparebit, Deum hoc severissimè dixisse, mandasse, injunxisse.

§. 2.

Sic enim inquit Rector supremi generis, supremus ille ac præpotens rerum author & conservator omnium, quique nutu suo divino, cœlestiq; providentiâ omnia disposuit.

§. 3.

Quisnam erit omnium vestrum, cui argumenta ex fonte Israëlis limpidissimo hausta & desumpta (quæ sunt numero multa, pondere magna) nondum satis faciant? Velim ipse domi Vetus Testamentum evolvat, & à Mose historico incipiat, libros Codicis Veteris probè cognoscat, ejus Prophetas perlegat, Historias inspiciat, libros sapientiæ non prætereat, Novum Testamentum non omittat, omnia omnium

Evangelistarum, Prophetarum, Apostolorum dicta & scripta scrutetur; simulachra quo ad usum floruisse, ab usu verò cultuq; ipsis exhibitô caruisse, cognoscetur.

§. 4.

Etenim si percurramus sacrarum literarum amœna prata, & ex illis flores quosdam decerpamus; deprehendemus profectò, Prophetarum Lucem ac Ducem Esaiam, à gulâ & Luxuriâ graviter suos Auditores esse dehortatum.

DE

DE OCCUPATIONE CUM RESPONDENDI FORMULIS.

CAPUT XXX.

§. 1.

VErùm hic aliquis mihi fortè occurrere posset. Quicquid est in Jesuitis mali vel scelerum, studiosè conquiris; dissimulatis interim virtutibus & ingeniidotibus, quibus isti homines excellunt. Absit ut hoc negem, sed ut venena non dantur, nisi melle circumlita, sic & vitia non decipere possunt, nisi sub specie & pallio virtutum &c.

§. 2.

At enimverò posset hic aliquis excipere, non omninò injustam esse istam judicii illius consuetudinem, cum ab omnibus Le-

gulatoribus semper probata sit hæc sententia: Crescentibus delictis exasperandæ sunt pœnæ. Cui hæc respondemus, rectè quidem illos facere, qui necessitate ita postulante graviores pœnas constituunt in homines improbos, sed inde consequens non esse, quod rectè illi faciant, qui neglecto omni jure scripto, & non scripto, indictâ causâ, neci homines destinant.

§. 3.

Objiciat hic mihi aliquis, sint multæ Canum dotes, sit in illis sagacitas, sit memoria, sint alia laudatione non indigna: exigua est eorum utilitas. Quod quàm falsò dicatur, quòd vigiles sint diurni & nocturni, custodesq; ædium fideliores, etiam illis hominibus constat, quibus hoc officium est demandatum, ut excubias agant, ne quid, somnum capientibus mortalibus, respublicæ aut privatæ detrimenti capiant.

§. 4.

Sed hic audio mihi aliquem obstrepentem, quid jactas tuam montosam aspe-

asperam & lapidibus horrentem Hassiam? Quod montosa est Hassia. Auditores, id decus illius multo magis etiam auget, & nescio, quid occulti habeat ad virtutis studium.

§. 5.

At à furibus parum differre videntur, qui alios imitantur, eorundemque lineas in scribendo sequuntur. Non est ita: Furtum non committit, qui eruditè, tectè, moderatè, non serviliter in suum usum convertit, quæ sunt ab aliis inventa.

§. 6.

Objiciat hic forsan mihi aliquis, non omnes fœminas esse eo ingenio in maritos, ut loco servorum illos habere velint. Respondeo, primùm hoc certum est, non à virtute sæpè proficisci obsequium illud, & obedientiam uxorum erga maritos. Sunt videlicet dicto audientes suis maritis, non quia id justum & honestum esse sciunt, sed quia contra stimulum non audent recalcitrare.

§. 7. Sed

§. 7.

Sed hic rursus aliquis dicat, formosam ducam puellam, ea non potest non esse voluptati. Erras, quisquis ita judicas; imò si formosa est, certam subibis miseriam &c.

§. 8.

Nisi fortè vobis placet hostium perditis adulationibus, & fraudulentis inducciis atque fœderibus fidem habere. Nolite hosti nefario & perdito aures tam facilè præbere, qui, quodlibet licere etiam adversus Christianos, putat. Parcit ovi lupus, sed parcit, quia plenam abripiendæ prædæ potestatem nondum habet &c.

§. 9.

Quæret quispiam: Quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis præditæ sunt, istâne doctrinâ, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certum, quid respondeam &c.

DE

DE MODO TRANSITIONIS AD CONFUTATIONEM.

CAPUT XXVI.

§. 1.

QUid cogitas? quid speras? in meis te posse Privilegiis conquiescere ampliùs existimas? in meis Asylis delitescere? à meo te posse favore ac gratia umbram aliquam consequi putas? à meô præsidiô tibi veniam promittis? erras homo, longissimè erras.

§. 2.

Hinc multas graves ac crassas tales objectiones nobis proponunt, sed nimis incautè, & verius dicam, stultè.

§. 3.

Poscit hic locus, flagitat æquitas, desi-

desiderat ipsa veritas, posteaquam sententiam de N. exposuimus, ut Adversariorum calumnias refutemus, quæ quia leviusculæ, & penè ridiculæ sunt, paucis à me perstringentur.

§. 4.

Verùm obstrepunt hic nobis verborum quidam Comportatores, Vocum aucupes, nugarum architecti, exclamantque assâ voce, audiendum esse divinum illum Platonem, Philosophorum principem.

§. 5.

At vel ex hoc nostro circulo quisquam progreditur, & contra hanc meam omtionem his verbis injurgit.

§. 6.

Intellexisse penitùs Vos nostram hac de re sententiam confido. Superest igitur, ut obstacula removeamus, & adversariorum acuta tela frangamus, eosque in veram viam revocemus & reducamus. Hi verò in hunc modum clamitant, &c.

§. 7. Hæc

§. 7.

Hòc verò locò operæ pretium esse existimo, si ridiculas adversariorum nostrorum oblectatiunculas refutemus, qui ridiculè admodum, & inconsoluté, vel, ut veriùs dicam, stultè, hisce nobis obstrepunt verbis.

§. 8.

Vos, dum ad rationes Adversarii, quantum mea quidem feret facultas, respondebo, attentè me bonâque cum veniâ audietis.

§. 9.

Jam quæ de Conjugii servitute attulit Adversarius, refutatione indigna sunt.

§. 10.

Porrò in exaggeranda muliebri etiam improbitate disertus fuit Adversarius.

§. 11.

Priusquam autem ad eam rationem veniam, quæ est propria nostræ quæstionis, breviter ea refutabo, quæ

ab

ab Accusatoribus honestissimorum hominum sæpè jactata sunt, & quibus etiamnum multorum aures opplere non desistunt.

§. 12.

Sequitur illud, quod adversarii Belgarum sæpissimè dicunt, religionis causa rebellavit populus in Belgio. Ad quod breviter respondeo, & disertè dico &c.

§. 13.

Verum enimverò, audio mihi obstrepentes Adversarios, osores generis Gallinacei, qui nuspiam in ædibus eos, nisi benè coctos, mensæque illatos ferre possunt. Ajunt illi &c.

§. 14.

Quemadmodum ager nullus tàm beneficus est, qui segetes producat absque spinis, ut non inter fruges laudabiles lolium, & steriles dominentur avenæ: Ita nulla est tam benè fulta rationibus assertatio, quæ non prematur Adversariorum objectionibus. Eas ex animis vestris, tanquam herbam noxiam evelli, & penitùs eradicari, tum mea, tum vestrum interest.

DE MODO CONFVTATIONIS.

CAPUT XXVII.

§. 1.

SEd aberras, quisquis es, aberras à scopo, quod dicitur, aberras, meô judiciô, & quidem gravissimè.

§. 2.

Quid hoc aliud est, quàm quod fortè verborum inanium copiâ, & arrogantiarum multitudine fretus, clarissimæ veritati nescio quas tenebras offundere, atque eà inficiari conaris, quæ à vobis omnibus certissima habentur. Unde qua fronte quæso illud negas? quô ore, aut quô animô contra ipsam insurgis veritatem?

§. 3.

§. 3.

Proh DEUM immortalem! proh hominum fidem! quid audio? vah quid dicit? quid ſtatuit? quid contra ipſam veritatem profert? Heus bone vir, erras, erras inquam. Nam &c.

§. 4.

Quicquid eſt tum harum, tum ſimilium objectionum & difficultatum in quæſtione de mundi æternitate, id ex gemina præcipuè radice pullulavit. Nimirum perſuaſum ſibi habent homines iſti, primò, perſolam generationem, non etiam creationem aliquid produci poſſe. Deinde DEUM eſſe ens alligatum neceſſitati naturæ, non agens liberum.

§. 5.

Hoc primum eſt. Objectio altera à parte DEI deprompta, æquè faciles habet explicatus. Inferunt &c.

§. 6.

Ubi tandem homines ſtultiſſimi hoc diſputant? an eſt quisquam, qui hæc ignoret, cùm de hujus generis quæſtionibus agatur, aut negari ſolere, omninò factum eſſe, quod objicitur, aut jure factum eſſe defendi.

§. 7.

Sed quis non videt, Adverſarium noſtrum nodum in ſcirpo quærere? quis non intelligit, hæc eâdem facilitate à nobis rejici poſſe, quâ allata ſunt? Erras ſcil. graviſſimè & meò judicio toto cœlo erras.

DE TRANSITIONE AD EPILOGUM.

CAPUT XXVIII.

§. 1.

VEreor autem, ſi longiùs orationem producere vellem, ne aut vobis, Aud. moleſtiæ, aut iis, qui poſt me in hunc locum conſcenſuri ſunt, diffidere velle videar,

dear, si de rebus tam perspicuis, nec cuivis non obviis, diutiùs disserere instituero. Vela igitur contraham, & in vadum me conferam: Vester ille vultus, & jucundissimus aspectus, manifesto judicio mihi est, neminem vestrûm esse, qui huic meæ orationi non subscribat, qui iniquitatem secus judicantium non intelligat, qui non animadvertat: quantum periculi, quantum calamitatis & detrimenti inde exoriatur.

§. 2.

Sed quid detineam vos diutiùs quàm velitis? nihil obstare amplius video, portæ patent, omnia omnibus arridenr.

§. 3.

Sed ne clepsydræ modum egrediar, finem dicendi faciam.

§. 4.

Sed quid in re manifesta laboro, quæ omnibus mediocriter oculatis clarissimè refulget.

§. 5.

Sed ne tempus disputationi destinatum,

tum, vobis præripiam, præfatiunculæ finem imponam.

§. 6.

Sed ne vestrâ, Aud. abutar benevolentiâ, quam libenter mihi concessistis, tempusque iis, quos in eâdem mecum navi vehere, & pro institutionis publicæ laude pugnaturos video, præripiam, vela mea complico, & in portum me confero.

§. 7.

Defessus jam propè sum dicendo, de re fœdissimâ, & vos sine dubio multò magis audiendo defessi estis. Finem igitur faciam.

§. 8.

Sed quò me indignitas exemplorum, quò scelerum recordatio, quò indignationis æstus rapit? Præstat silentio præterire, quàm cum maximô dolore, cum suspiriis & gemitibus, si quæ sunt alia, ut sunt multò graviora commemorare.

§. 9.

Video me longiùs progressum esse dicendo, quàm initiô constitueram; Rapuit & abduxit orationis cursum secundis quasi ventis, nobilium dignitas, autoritas, existimatio, quam, cum hodiernô die tacitus prætermittere, ac malevolis imminuendam concedere, nec voluerim, nec debuerim, auferri me aliquantò longius passus sum, neque mihi potui, ut eas strictim & modicè attingerem, imperare.

§. 10.

Sed quò longiùs in altum evehor, eò amplior & patentior orationis cursus mihi ostenditur. Ut igitur extremum aliquid habeat oratio mea, finem dicendi faciam.

§. 11.

Sed quoniam, A. O. temporis angustia & brevitate impeditus, dicere plura non possum, etiam atque etiam oro, ut, quæ à me breviter atque succinctè dicta sunt, ea velitis probata esse vobis.

Quod

Quod reliquum est, DEUM optimum maximum, cujus nutu terrarum solia gubernantur, atque ejus Filium unicum Jesum Christum ac Immanuelem nostrum, cum Spiritu Sancto, oro atque obtestor, ut æternam sibi inter nos Ecclesiam ministeriô verbi sui colligere dignetur, eamque ex omnibus hujus vitæ miseriis & calamitatibus ereptam, ad se, in cœlestem perpetui refrigerii, & sempiternæ beatitudinis locum transferat.

§. 12.

Hæc habetis, A. O. quæ in hoc operum meorum principio, de N. Studiosorum gratia præfari volui. Subsisto & à vobis peto, ut hæc, quæ à me prolata sunt, animis vestris inscribere, velitis.

§. 13.

Possem hôc locô evagari latiùs, sed me temporis ratio, & hujus loci consuetudo, ut vela contraham, portumque tandem aliquando respiciam, monet. Audivistis igitur, Auditores, (vos enim,

vos mea jam compellabit oratio) Audiviſtis, inquam, &c.

§. 14.

Superſunt quidem multò plura de hac re dicenda, ſed ego defeſſus ſum hâc commemoratione, & tempus vetat prolixiorem eſſe orationem.

§. 15.

Sed deſino plura hâc de re dicere, Nam ego omnes laudes hujus artis recenſere non valerem, etiamſi tot mihi eſſent linguæ, quot ſunt in mari guttulæ. Finem igitur orationis faciam.

§. 16.

Sentio me fuiſſe longiorem, quàm volebam. Plura non dicam. Ideoq; quæ à me ſunt tractata, ea penitus animis mentibusque mandate; maneat, quod fixum in cordibus omnium hæreat in medullis atque viſceribus.

§. 17.

Sed longior fui, quàm putabam; fila igitur orationis abrumpam.

§. 18

§. 18.

Sed non ſinit tempus hæc proſequi longiùs; Vela igitur oratiunculæ complicabo, & in portum me recipiam.

§. 19.

Verùm nolo his longiùs immorari, & quoniam horulæ effluxerunt, hanc meam navim arenæ commendo.

§. 20.

Sed plura dicere omitto. Unum faciam, quod Imperatores inſtructâ acie ſolent. Illi quanquam paratiſſimos milites ad prœliandum vident, tamen eos tantum adhortantur: Sic & ego, quoniam vos ardentes video & erectos, ad libertatem recuperandam cohortabor.

§. 21.

Sed anguſtia temporis non ſinit, ut omnia hujus vitii incommoda recenſeamus & enumeremus.

§. 22.

Sed ne abutar veſtrâ benevolentiâ,

quam liberaliter mihi concessistis; Vela mea contraham, & in portum me recipiam.

§. 23.

Sed quorsum abripior? Idem mihi contingere video, quod iis, qui animi gratiâ navigiolum conscendunt, & oram litoris legunt, cùm delectationis sensu decepti, à margine in medium æstum auferuntur, longissimeq; præter voluntatem à portu ventis secundis abripiuntur: Ita enim me dignitas, utilitasq; hujus rei in vastum pelagus abripit. Verùm vela contraham mea, & in portum me recipiam.

§. 24.

Verùm ne ipsa hæc oratio longiùs abripi, & à portu deflecti videatur, vela colligam, finemq; dicendi faciam, præsertim cum mihi persuasissimum habeam, neminem vestrum esse, qui non ex ipsis, quæ dicta sunt, abundè intelligat &c.

§. 25.

Multis hæc demonstrari possent; Verùm brevitatis studiô, & evitandi tædii causâ, con-

contraham orationculæ finem, & colophonem illi imponam.

§. 26.

Sed vereor, si longiùs hanc orationem producerem, ne vobis molestus sim, & tempus, quod disputationi destinatum est, præripere videar. Non amplius quenquam tam stultum ac stolidum puto, qui huic severissimo DEI mandato locum dare recuset; neque aliquem tam stipitem & stupidum esse, qui hujus rei utilitatem non perceperit, quemq; præmiorum dignitas ad hæc non allexerit, neque quenquam tam tardum & hardum fore confido, qui non hisce locum cedat, & confestim non subscribat.

§. 27.

Quamobrem quæso vos, Auditores, quos animô excelsô præditos, atque optimarum artium studiis deditissimos video, ut, quæ orationi meæ desunt, cogitatione vestrâ supplere, dignemini: quod si feceritis, nullum

mihi erit dubium, quin N. N. præstantissimum DEI munus judicaveritis.

§. 28.

Quod ominabar futurum, A. cum hanc telam texendam susciperem, ut nulla esset omissionis & propositæ rei harmonia & cognatio, quam Plato tamen in dicente requirit, illud re ipsa nunc experior: Fateor omninò, me jejuniùs & rudiùs dixisse, quàm nobilitas & præstantia tanti argumenti poscit. Agnosco culpam. Ream tamen pro me se subjicit pietas, & culpam deprecatur, cujus deprecatio tantum, ut confido, apud vos est habitum pondus, ut de quærendis deprecatoribus & Patronis aliis, nullô mihi modô sit laborandum.

§. 29.

Longa est oratio, A. multæque sunt nationes, quæ arguunt N. præstantiam & utilitatem, tum præ omnibus bestiis, tum præ multis etiam hominibus, quas omnes hic ad vivum resecare, nec possum, nec est opus.

Dicendi igitur finem facio, ne quis forsitan murmuret, me imitari Canes, qui cum semel accedentium aures implere cœperunt, quiescere non possunt.

§. 30.

Dicendi finem hic facio, qui N. videt, cogitare debet, magistram se videre vitæ suæ, & speculum pulcherrimarum virtutum, in quod intueatur, è quô vitæ documenta petat.

FINIS.